Principia medicinae / Auctore Francisco Home.

Contributors

Home, Francis, 1719-1813.

Publication/Creation

Londini : Impensis Thomas Cadell; Edinburgi : Alex, Kincaid & Jo. Bell, 1770.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nvf6nb7w

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

62658/B

E Libris G. T. Gibbes
Coll: Beat: Mariæ Magd: Oxon Soc
1794.

V2

MEDICAL SOCIETY OF LONDON
Established 1773
CHANDOS St. CAVENDISH Sq.

PRINCIPIA MEDICINAE.

AUCTORE

FRANCISCO HOME,

Medico Regio, Collegii Medicorum Edinburgi Socio, et Medicinae Materiaeque Medicae Professore in Academia Edinensi.

EDITIO TERTIA.

EDINBURGI:

Impensis THOMAE CADELL, Londini;

ET

ALEX. KINCAID & JO. BELL, Edinburgi.

MDCCLXX.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3050045x_0002

IN hoc volumen redigere conatus ſum praecipua et utiliſſima MEDICINAE PRINCIPIA. Hiſtorias morborum, ut hiſce temporibus et regionibus conſpiciuntur, curate depinxi; eorumque curationes multiplices, jam uſu confirmatas, tradidi. Rationes, quae parce et caute exhibentur, ab illis ſegregavi. Ordinem quam ſimpliciſſimum, et uſui accommodatum, ſequutus ſum. Oratione, potius dilucida et ſuccincta, quam eleganti, uſus ſum.

QUUM, in rejiciendis quae minus viderentur idonea, et in iis quae diffuſius a me ad Praelectiones Medicinales ſcripta eſſent in compendium redigendis, praecipua mea poneretur opera, non dubito quin tyronibus, vel parum in arte verſatis, ob brevitatem difficilius, et in multis locis obſcurius opuſculum hocce videatur.

BOERHAAVIUS certe, qui librum de cognoſcendis et curandis morbis compoſu-

it, de Medicis optime meretur. Primus enim medicinam in ſyſtema rationale et aphoriſticum redegit; et multa de febribus inflammatoriis utilia tradidit. Sed in ordine totius, et in nonnullis morbis deficit; multos praeteriit; et totum opus, minus quam par erat, uſui accommodavit: quod ſane humana imbecillitas, in tanta rerum varietate, tamque difficili arte, vix praecavere poteſt; et quod facillime ignoſcetur ab illis, quibus innoteſcit quam arduum ſit opus.

Ex propria experientia nemo huic operi par eſt; ideoque fideles aliorum obſervationes in auxilium advocavi. Ducibus me tutor praecipue CELSO et HOFFMANNO. Hic multarum rerum, quas ipſe ſequutus ſum, auctor bonus. Ille inter omnes quotquot ſcio ob judicii acumen et ſtyli elegantiam nitet. Illius verba, utpote diſertiſſima, nefas mutare duxi; et, uti omnibus medicis notiſſima, haud inſignivi.

OPERIS

OPERIS ARGUMENTA.

LIB. I.

De SANITATE et MORBIS.

PARS I.

De Sanitate.

SECT.		Pag.
I.	*Definitio, fundamenta, et divisio Medicinae practicae,* - -	1
II.	*De hygieina vel tuenda sanitate,*	3

PARS II.

De diversis morborum partibus.

I.	*De morbis,* - - -	13
II.	*De causis morbificis,* - -	14
III.	*De causis morborum remotis,* -	15
IV.	*De causis praedisponentibus,* -	26
V.	*De causis morborum proximis,*	28

SECT. Pag.
VI. *De causarum morbificarum sede*, 32
VII. *De symptomatibus morborum*, 35
VIII. *De symptomatum genealogia et ratione*, 36
IX. *De crisi*, - - 37
X. *De diagnosi*, - - 40
XI. *De prognosi*, - - 41

PARS III.

De morbis medendis.

I. *De therapeia*, - - 46
II. *De remediorum viribus*, - 49
III. *De artis in medendo legibus*, - 52

LIB. II.

DE MORBIS FEBRILIBUS.

PARS I.

De diversis morborum divisionibus.

I. *De morborum in diversa genera divisione*, - - - 56
II. *De endemicis, epidemicis, et sporadicis morbis*, - - - 58
III. *De acutis et chronicis morbis*, - 61
IV. *De morbis febrilibus et non febrilibus*, 64

V. *De*

SECT. Pag.
V. *De febre in genere*, - - 66
VI. *De febrium generibus*, - 75

PARS II.

De febribus quae in totis corporibus consistere videntur.

I. *Febris inflammatoria*, - 76
II. *Febris lenta vel nervosa*, - 83
III. *Febris maligna, putrida vel petechialis*, - - - 87
IV. *De harum febrium complicationibus*, 91
V. *Febris intermittens*, - ib.
VI. *Febris remittens*, - - 97
VII. *Febris hectica, vel marasmus*, 101

PARS III.

De febribus quae oriuntur in partibus.

I. *De inflammatione in genere, ejusque terminatione per resolutionem, abscessum, gangraenam vel schirrhum*, 104
II. *Phrenitis sive inflammatio cerebri ejusque membranarum*, - 111
III. *Ophthalmia*, - - - 114

IV. *Angina*

SECT. Pag.
IV. *Angina inflammatoria*, - 119
Angina maligna, - - 125
V. *Tussis vel catarrhus, et tussis convulsiva*, - - - 129
VI. *Peripneumonia inflammatoria*, 135
Peripneumonia maligna, - 139
Peripneumonia notha, - 140
VII. *Pleuritis*, - - - 141
VIII. *Paraphrenitis*, - - 145
IX. *Phthisis pulmonalis*, - 146
X. *Tabes aliae purulentae*, - 151
XI. *Inflammatio ventriculi*, - 152
XII. *Dysenteria, diarrhoea et lienteria*, 153
XIII. *Colicus dolor*, - - 159
XIV. *Cholera morbus*, - - 162
XV. *Iliaco passio, ileus, seu volvulus*, 163
XVI. *Hepatitis*, - - - 166
XVII. *Nephritis*, - - - 169
XVIII. *Stranguria*, - - 171

PARS IV.

De morbis febrilibus qui primo in totis corporibus, dein in partibus consistere videntur.

I. *De hisce morbis in genere*, - 173

II. *Ar-*

SECT. Pag.
II. *Arthritis*, - - - 174
III. *Rheumatiſmus*, - - 180
IV. *Febris purpurata vel miliaris*, 183
V. *Febris ſcarlatina*, - 187
VI. *Eryſipelas*, - - ib.
VII. *Variolae*, - - - 191
VIII. *Morbilli*, - - - 199

LIB. III.

De MORBIS non FEBRILIBUS.

PARS I.

De morbis totius corporis.

I. *De morborum non febrilium diſtributione*, - - - 203
II. *Scorbutus*, - - - 204
III. *Hydrops*, - - - 209
IV. *Scrophula ſeu ſtrumae et ſcirrhus*, 216
V. *Carcinoma vel cancer*, - 220

PARS II.

De cerebri nervorumque morbis.

I. *Apoplexia*, - - 224
II. *Morbi ſoporoſi*, - - 228

III. *Pa-*

SECT. Pag.
III. *Paralysis*, - - - 230
IV. *Epilepsia*, - - - 232
V. *Convulsiones*, - - 236
Spasmus cynicus, vel risus Sardonicus, ib.
Chorea sancti Viti, - - ib.
VI. *Tetanos, opisthotonos, emprosthotonos*, - - - 237
VII. *Catalepsis*, - - 239
VIII. *Malum hystericum*, - 240
IX. *Insania*, - - 243
X. *Odontalgia*, - - 248

PARS III.

De morbis qui oriuntur in partibus.

I. *Haemoptysis aliaeque haemorrhagiae*, 249
II. *Asthma*, - - 253
III. *Imbecillitas vel resolutio ventriculi et intestinorum*, - - 257
IV. *Haemorrhoides*, - - 261
V. *Icterus*, - - - 262
VI. *Calculus cysticus*, - - 265
VII. *Diabetes*, - - 268
VIII. *Incontinentia urinae*, - 270
IX. *Lithiasis seu calculus renum et vesicae*, - - 271

PARS

PARS IV.

De morbis genitalium et uteri.

SECT.		Pag.
I.	*De his morbis in genere,* -	275
II.	*Morbus venereus,* -	276
	Gonorrhoea virulenta, -	278
	Tumor testium, - -	283
	Stranguria venerea, -	284
	Bubo venereus, - -	285
	Gonorrhoea non virulenta, -	287
	Ulcuscula venerea, - -	289
	Tumores praeputii glandisque,	290
	Tubercula callosa, - -	291
	Lues venerea confirmata, -	292
III.	*De mensibus,* - -	301
IV.	*Obstructio vel suppressio mensium,*	303
V.	*Nimia mensium profusio,* -	305
VI.	*Fluor albus,* - -	306
VII.	*Furor uterinus, et satyriasis vel priapismus,* - -	308
VIII.	*Impotentia vel sterilitas virilis,*	310
IX.	*Sterilitas muliebris,* -	311
X.	*Gravidarum morbi,* -	313
XI.	*Abortus,* - -	315

XII. *De*

SECT. Pag.
XII. *De puerperarum tractatione in genere*, - - - 317
XIII. *Fluxus lochiorum nimius*, - 318
XIV. *Lochiorum diminutio vel suppressio*, 319
XV. *Dolores post partum*, - 320
XVI. *Febris lactea*, - - 321

PARS V.

De morbis infantium et puerorum.

I. *De his morbis in genere*, - 322
II. *Morbus ab acido*, - - 324
III. *Aphthae*, - - - 325
IV. *Dentitio*, - - 326
V. *Vermes*, - - - 327
VI. *Vigilatio, pavor in somno, convulsiones*, - - - 329
VII. *Crusta lactea, tinea, impetigo*, &c. 330
VIII. *Pthiriasis, crinones*, - ib.
IX. *Ani procidentia*, - - 331
X. *Atrophia*, - - - ib.
XI. *Rachitis*, - - - 332
XII. *Suffocatio stridula*, - - 335

P. 36. l. 8. *pro* inincertum, *lege* incertum.

PRINCIPIA MEDICINAE.

LIBER PRIMUS.

De SANITATE et MORBIS.

PARS PRIMA.

De Sanitate.

SECT. I.

Definitio, fundamenta, et diviſio Medicinae Practicae.

1. MEDICINA practica eſt ars corporis humani ſanitatem tuendi, vel idoneis remediis amiſſam reſtituendi; ideoque Medici nomen ſolus meretur, cui innoteſcunt quae ſanitatis tutelam et morborum curationem reſpiciunt.

2. Uti in corpore humano medicina verſatur, capitis externi, trunci et artuum conditiones, viſ-

cerum pofituram, ordinem, numerum, magnitudinem, figuram, duritiem, mollitiem, ftructuram, folidarumque et fluidarum partium motus, difcentes nofcere debent. Hinc peritia anatomiae neceffaria eft.

3. Neque fanitatis neque morbi diftinctam habere quifquam poteft ideam, abfque notitia omnium actionum in ftatu fano. Praemittenda ergo phyfiologia.

4. Ex anatomia et phyfiologia patet, corpus humanum effe machinam mechanico-hydraulicam, fumma arte conftructam, ex folidis potentia motrici donatis, et fluidis motis compofitam; ideoque legibus corporum folidorum vel fluidorum in motu parere. An automatôn necne, nihil refert. Hinc ufus mechanicae fcientiae in medicina.

5. Solidae et fluidae corporis partes ex variis principiis vel elementis conftant, internafque patiuntur mutationes, a propria compofitione, infitifque ultimarum particularum viribus, ortas, et chemicis legibus folummodo explicandas. Exinde chemia etiam in auxilium medicinae advocanda eft.

6. Inftrumenta ad debitum effectum producendum in omnibus artibus requiruntur. Medicinae inftrumenta funt remedia, quorum vires et compofitiones in Materia Medica demonftrantur.

7. Ex hifce fundamentis patet, non folum ufu, fed etiam corporum rerumque naturalium ratione,

ratione, et ejus ad praxin applicatione, ipſi medicinae opus eſſe. Nititur itaque experientia et ratione.

8. Medicina practica in duas partes aptiſſimè dividitur. Prior praecepta ad ſanitatis tutelam neceſſaria tradit, et appellatur Hygieine. Poſterior in morbis depellendis verſatur. Haec denuo partitur in Pathologiam, quae cauſas, differentias, et effecta morborum explicat; et in Therapeiam, quae morbos, medendi leges, et methodum docet. De quibus ordine dicam.

SECT. II.

De Hygieine, vel tuenda ſanitate.

1. SAnitas eſt vigor actionum, tam corporis quam animi, a libero, aequabili, et temperato ſolidorum et fluidorum motu, proveniens: quae talem motum in ſolidis et fluidis cuſtodiunt, certiſſima ſecundae valetudinis praeſidia deveniunt.

2. Secunda valetudo conſervatur et firmatur, ſi diligenter attendamus ad ſequentia: habitum animi; ingeſta, viz. cibum et potum; externè applicata, nempe aërem, veſtitum, et balneum frigidum; excreta, viz. foeces, urinam, perſpirationem inſenſibilem, menſes, haemorrhoides,

ſemen; exercitationem; ſomnum; et ad quaſdam hominum rerumque varietates.

3. Animi facultates vel agunt, vel patiuntur. Agunt imaginatio, pathemata, et ratio: ab his ergo ſolis corpus afficitur.

Imaginatio, pulchrorum pulcherrimi Opificis operum contemplatione quotidiana, artibus naturae imitatricibus, varietate grata, mutuo inter amicos et ſexus commercio, recreationibuſque innocuis, excitata, neque nimis langueſcere, neque in una re nimis inhaereſcere permittitur.

Pathemata in duas claſſes dividuntur. Prior, quae complectitur iracundiam, indignationem, furorem, deſiderium, amorem, &c. ad actionem incitat. Poſterior, ad quam pertinet metus, terror, moeror, deſperatio, &c. ab actu reprimit. Pathemata illa, Incitantia appellata, ſanguinis circuitum excitant, fibras conſtringunt, humores attenuant, et ſecretiones promovent. Haec, Reprimentia vocata, ab externis injuriis avocant, et humores, a prioribus calefactos, ſedant, vel exhauſtos reſtituunt. Inter omnes eminent ſpes et gaudium, propter ſalutares effectus. Talia a pathematibus oriuntur commoda, ſi recta ratione gubernentur.

Ratio ipſa, animi corporiſque rectrix, diſciplina eget; et, ubi inquietae cogitationi, nimio literarum ſtudio, abſtruſis ſpeculationibus metaphyſicis vel mathematicis, ſeſe totis viribus committit,

mittit, corpori inimica eſt. Cogitationes ſeverae hilarioribus interpellandae ſunt.

4. Alimentorum ratio in quantitate et qualitate habenda eſt.

Prodeſt bis vel ter die, potius quam ſemel, cibum capere; et ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat ventriculus. Nunquam utilis eſt nimia ſatietas; ſaepe inutilis nimia abſtinentia. Poſterior priore perniciofior. Quantitatis moderatrix eſt vis ventriculi digerens.

Nutritioni optime inſerviunt alimenta blanda et inſipida, quae mucilaginem vel gelatinam in ſinu ſuo recondunt, et texturam non nimis firmam vel teneram poſſident. Hinc aquoſa, terreſtria, ſalina, et pinguia, ſeparatim, huic officio inepta ſunt. Hinc omnia indurata, fumata, ſalita, et condita, duabus de cauſis inutilia deveniunt; quoniam et plus propter ſaporem aſſumitur, et quod modo par eſt, tamen aegrius concoquitur.

Cibus a durioribus meliùs incipit, ut abunde ſuppetat ſalivalis latex. Coena requirit cibos facilioris ſolutionis, ne ſomnus, et inde pendentes ſecretiones, turbentur.

Digeſtionem promovent ſal commune marinum, acida ex vegetabilibus parata, et condimenta moderate ſumpta, ventriculum ſtimulando, conjunctionem pinguedinis cum aqua promovendo, et mucoſitates incidendo. Sub finem dige-

ſtionis convenit potus herbarum gratae amaritudinis, uti Theae, Coffe, &c. non nimis calidus, ad reliquias alimentorum diluendas et abſtergendas. Poſt ſatietatem, neque frigori, neque aeſtui, neque labori committatur corpus. Si quibus de cauſis futura ſit inedia, labor omnis vitandus.

5. Potus ex aqua frigida, inſipida, inodora, in bilance ventriculoque levi et ſubtili, molli, neque ſalinis, putreſcentibus, vel terreſtribus particulis referta, omnibus aliis palmam praeripit. Hujus poculum, tempore veſpertino et matutino, poſt peractam digeſtionem, aſſumptum, ad ſanitatem admodum conducit.

Athleticis arridet potus magis nutriens, uti cereviſia ex aqua molli praeparata, lupulata, bene fermentata, minime ventoſa, neque in actu fermentationis deglutita. Quo vetuſtior, ni aceſcat, eo levior. Imbecilliorum ventriculus vino aqua diluto optime refocillatur; neque ſedentariis adverſatur larga vini optimi copia, dummodo debitis intervallis, ventriculoque non onuſto, aſſumatur. Intemperantia in potione, quam in eſca, tutior eſt. Calor lecti, equitatio, et elixir vitrioli nauſeam heſterni lacchi abigunt.

Moderatus ſpiritus vini uſus in corporibus et regionibus humidioribus calorem ventriculi excitat. Immoderatus ventriculum, corpus, animam,

mam, vireſque genitrices inervat, et ad intempeſtivam ſenectutem perducit.

6. Eligendus, ſi fieri poteſt, aër elaſticus, et ad barometrum gravis; temperatus, ſed potius ad frigus quam ad calorem vergens; ſerenus et ſiccus; campeſtris, puruſque ab omnibus inquinamentis vegetabilibus, animalibus, vel mineralibus; perflabilis; ſolis radiis expoſitus et penetratus; ventis, terreſtres non aquoſas plagas verrentibus, ſaepe agitatus; ſubitiſque coeli mutationibus haud obnoxius. Hinc ſanitati male conſulit, qui aëri incarcerato, nimis calido, et vaporibus animalibus repleto, ſe ſuoſque aſſuefacit; aër enim externus et inevitabilis et neceſſarius, ideoque non fugiendus.

7. Senſationi potius quam rationi, ſubjicitur veſtium temperies. Quo mutabilior, frigidior, vel humidior aër, quo imbecillius corpus, eo calidiores requiruntur veſtes. Sed in ſubitaneis veſtium mutationibus, plerumque fere peccatur. Aeſtivae, neque nimis cito aſſumendae, neque nimis tarde deponendae ſunt: munditiis, ſecretionis cuticularis gratum tutamen, quotidiana camiſiae carbaſinae mutatione, cuſtoditur.

8. Balneum frigidum, in hiſce frigidis regionibus, quam utiliſſimum eſt, cutem durando, fibras conſtringendo, humores attenuando, calorem excitando, et ſecretiones augendo. Haec

perficit ſubito frigore, pondere fluidi undequaque premente, ſordiumque eliminatione.

9. Evacuationes, uti foeces, urina, perſpiratio inſenſibilis, menſes, et haemorrhoides, in debito moderamine continendae ſunt; ne, his nimis ſuppreſſis, vaſa impleantur, et particulis vitae ſanitatique infeſtis ſtimulentur; vel, nimis auctis, corpus tabeſcat, et vires conſumantur.

10. Concubitus rarus corpus excitat; frequens ſolvit. Cum autem frequens, non numero, fit, ſed natura, ratione aetatis et corporis, ſcire licet, eum non inutilem eſſe quem corporis neque languor neque dolor ſequitur. Hanc evacuationem prohibent ſtudia nimis protracta, vigiliae, inanitio, crapula, inebriatio, labor, aetas puerilis vel ſenilis, infirmitas, et omnia quae debilitant. Suadent naturae irritamenta, concoctio jam peracta, et quies inſtans.

11. Ad actionem a Summo Opifice haec machina deſtinata et fabricata eſt: ſanitas ergo ab actione inſeparabilis. Motus appetitum excitat, fibras roborat, humores attenuat, circulationem promovet, omnes humorum ſecretiones auget, animo vires addit, et toti ſyſtemati nervoſo gratam ſenſationem conciliat.

Exercitatio ſemper antecedere cibum, et ad levem ſudorem aut laſſitudinem, non ad fatigationem protrahi, debet. Fatigatis aptum eſt cibo humido, vino aqua tepida diluto, balneis calidis,

dis, mutatione laboris et quotidiano cubili uti. Sudanti frigidus aër, vel frigidae aquae potio, perniciosissima sunt.

Exercitationes in vehementes et lenes dividuntur. Vehementes, uti cursus, pila, saltatio, caeteraque hujus generis, ob violentam humorum agitationem, calorem intensum, et subitum refrigerium, periculo associantur.

Inter leniores enumerantur vectura in rheda, ambulatio, et equitatio; vectura imbecillibus quam sanis utilior est; saepe inutilis in clauso vehiculo. Ambulatio, ubi per ascensum et descensum cum quadam varietate movetur corpus, nisi perquam imbecille, commodior est; sed vires quam maxime exhaurit, et exhaustae non cito reficiuntur. Aliter accidit in equitatione, quae in caput et pulmones, sed praecipue in viscera abdominalia, succussionibus repetitis, agit.

Clara vox inter exercitationes salutares ab antiquis maxime, sed fortasse immerito, celebratur. Huic anteponenda frictio, quia vires auget, non minuit, et secretionem cuticularem quam optime promovet.

12. Humores, quos labor dissipat et attenuat, somnus retinet et incrassat; hinc sanguificatio et nutritio in hoc statu optime perficiuntur. Tempus somno opportunum nox est, ad quem aëris insalubritas suadet, et tenebrae silentiaque invitant. Diuturnitas mensurari debet animi corporisque

porisque laboribus praegressis, et praesentanea refectione. Somnus capiendus est in cubiculo amplo, temperato, et supra calcitram duriorem. Infantibus et senibus meridiari convenit, sed in lecto, non in sella.

13. Ratio quoque habenda est varietati aetatum, corporum, consuetudinis, sexuum, temporum, et climatum. Hae hominum rerumque proprietates attentionem desiderant.

14. Infantibus pueriſque dieta leviſſima nutriens, partitis vicibus, et non semel assumpta, alvus lubrica, somnus quantum fieri potest longissimus, immersio in aquam frigidam, arrident. Cane pejus et angue fugienda inedia, purgantia fortiora, et vinum vel caro praecipue condita ad libitum.

Sanum hominem adultae aetatis nullis obligare se legibus, sed varium vitae genus habere, oportet. Minus enim quae assumat, et quomodo curetur, interest.

Senibus carnes albae dictae, vinum meracius, frictiones, et calida lavatio, apta sunt. Tunc paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni.

15. Ante omnia autem scire convenit naturam corporis; unumquodque enim suas proprietates habet. Diversa temperamenta diversimode regenda sunt. In sanguineo et cholerico, prosunt pathemata reprimentia, abstinentia, dieta tenuis et refrigerans, potus multus aquosus; in melan-

cholico

cholico et phlegmatico, ſtimulantia et calefacientia, uti pathemata incitantia, motus, vinum, carnes conditae, aromata, et frigida lavatio. In quamplurimis vitiatur vel labe hereditaria, vel praegreſſis morbis, aliqua corporis pars, cui etiam in ſanitate advigilandum.

16. Conſuetudo eſt diſpoſitio motus ſaepe antea peractos iterum peragere; ideoque inſtar naturae operatur. Nocet, quamvis per ſe non nocivum, quod contra conſuetudinem eſt. Ergo cum quis mutare aliquid volet, paulatim debet aſſuefacere. Otioſa vita utilis non eſt, quia poteſt incidere laboris neceſſitas.

17. Diverſitas ſexus non negligenda eſt. Sexus enim mollior, utpote laxiore habitu et ſenſibiliore natura praeditus, et vitae ſedentariae addictus, ſtimulantia, corroborantia, et cibos eupeptos ſiccoſque poſtulat.

18. Conſiderare quoque oportet tempus anni. Hyeme, plus edere et meracius bibere convenit: utilius eſt cibis ſiccis quam humidis, carnibus quam oleribus, calidis quam frigidis, tunc uti. Vere, minus indulgendum cibo, magis potioni dilutiori, oleribus, et veneri. Aeſtate, cibo leviſſimo et exiguo, ſed ſaepius ſumpto, potione dilutiſſima ſitim ſine calore tollente, frigidis et refrigerantibus, corpus eget. Autumno, cibo paulo pleniore uti; minus ſed meracius bibere;

neque

neque nocturno aëri, nisi bene vestito, sese committere licet.

19. Diversae regiones diversum victum postulant. In calidissimis, potio ex vino bene diluto vel spiritibus fermentatis dilutissimis, acida vegetabilia, et dieta tenuis; in frigidissimis, vinum meracum, vel spiritus fermentati aqua parce diluti, dieta ex carne, et aromata prosunt.

20. In gravibus et contagiosis tempestatibus sanitas, fuga et peregrinatione, sed ubi id non licet, hilaritate, modica exercitatione, vino moderate sumpto, dieta refocillante et corroborante, cortice Peruviano, balneoque frigido, tuenda est; evitatis aquosis, refrigerantibus, nocturno aëre, solis calore, frigore, fatigatione, cruditate, venere, evacuationibus, et omnibus quae contra consuetudinem sunt. Ex aëre salubri in gravem, prima hyeme; ex gravi in eum qui salubris est, prima aestate, transire melius est.

21. Infectio intra corpus admissa, quod patet halitu graveolento, nausea, horrore et capitis dolore, certissime, si citissime, antequam humores inquinat, iterum expellitur vomitu et clysmate statim adhibito, postea leni sudore, dein epispasticis, si adsunt dolores, et postremo leni alvi subductione.

PARS

PARS SECUNDA.

De diverſis morborum partibus.

SECT. I.

De morbis.

1. MORBUS eſt laeſio actionum tam corporis quam animi, ab impedito, inequali, vel immoderato ſolidorum vel fluidorum motu proveniens.

2. Haec medicinae pars, quae morbos tractat, in morborum cognitione et curatione tota verſatur: hinc in pathologiam et therapeiam diſtinguitur. Prior ordine pathologia, poſterior therapeia; quia ante cognoſcendus quam curandus eſt morbus. De his quaedam in genere dicenda, quo minor ipſam morborum hiſtoriam et curationem exequentibus mora ſit.

3. Ut recte cognoſcantur morbi, requiritur notitia cauſarum morbificarum, loci affecti, ſymptomatum, criſeos, diagnoſeos, et prognoſeos. Hinc pathologia, omnia quae ducunt ad plenam morborum cognitionem comprehendens, in has diverſas partes diſtribuitur.

SECT.

SECT. II.

De causis morbificis.

1. QUia nulla motus mutatio fit sine causa, morbus causas morbificas necessario praesupponit, quarum cognitio medico summe utilis est. Is enim recte curaturus, quem prima origo causae non fefellerit.

2. Causa morbifica est illa, quae suis innatis viribus motus naturales vitiat, et ad morbi generationem confert.

3. Motus morbosi non prorsus his causis morbificis adscribendi sunt, sed solummodo eorum defectus vel excessus supra motus sanos: motus enim praeternaturalis ex binis motibus, naturalibus et morbosis, oritur. Prudentis itaque medici est, naturalem, aeque ac morbosum statum, cognoscere.

4. Tres ab antiquis medicis enumerantur causae morbificae, nec immerito; causae remotae, causae praedisponentes, et causae proximae. Causae remotae, externae, προκατάρκτικαι, praeincipientes, occasionales quoque dictae sunt illae, quae corpori humano antea disposito applicatae morbos excitant. Causae praedisponentes, antecedentes, vel προηγούμεναι, sunt illae, quae ita corpus

pus disponunt, ut aptum morbosis motibus concipiendis, si applicentur causae remotae, evadat. Causae proximae, continentes, formales, abditae vel internae dictae, sunt illae corporis laesionis, quae immediate symptomata morbosa excitant, et a binis causis praecedentibus originem habent: sed semel productae, suis viribus permanent.

5. Hae diversae morborum causae haud confundi debent; quia quandoque una, quandoque altera, opem medici speciatim poscit. De his ergo summatim tractandum est.

SECT. III.

De causis morborum remotis.

1. PRimum locum merito tenent pathemata animi violenta; quia nihil citius motus solidorum et fluidorum placidos perturbat. Effectus quos producunt, sensibus patescunt; sed modus operandi adhuc in tenebris jacet, et fortasse semper jacebit.

Ira fibras constringit; motum sanguinis accelerat; sanguinem ad superiora determinat; dolorem in scrobiculo cordis excitat; et spasmodicas stricturas in ventriculo, ducto cholidocho, et intestinis, concitat. Hinc larga salivae copia, oris

ris amarities, vomitus bilis, volvulus, apoplexia, phrenitis, febris.

In amore, pectori altius infixo, alta trahuntur ſuſpiria; cor pulſuſque tremunt; vultus rubore et pallore alternatim tingitur; vox faucibus ſupprimitur; oculi tenebris velantur; gelidi erumpunt ſudores; et ſomnus, quamvis enixe vocatus, uſque ad auroram deſerit. Inde ſecretiones perturbatae, tabes, appetitus proſtratus, melancholia, inſania.

Moerore pectus occupante, fibrae relaxantur; motus humorum retardatur; valetudo et venuſtas aufugiunt; ventriculus et inteſtina debilitantur, flatibuſque diſtenduntur; alta trahuntur ſuſpiria; lumina ſubſidunt; genae palleſcunt; corpuſque mortui potius quam viventis ſpeciem fert. Hinc pulſus debilis, appetitus deletus, debilitas, perſpiratio cohibita, frigus extremitatum, tabes, polypus, omneſque morbi qui a ſolidis debilitatis proveniunt. Commotionum omnium moeror corpori infeſtiſſimus eſt.

In timore et terrore, ſolida debilitantur; fluidorum motus reprimitur; contremeſcunt artus; gelidi effunduntur ſudores; ſanguis circa cor et pulmones accumulatur; foeces et urina involuntarie elabuntur; totaque machina, quam maxime, relaxatur. Hinc cordis palpitationes, debilitas, anxietas, ſpirandi anguſtia, lethargus, animi deliquium, mania, mors.

Pudor

Pudor moerori affinis eſt, et ejus effectus aliquatenus participat. In hoc pathemate ſanguis ad caput determinatur: forſitan adeſt quoque inſolita minimorum vaſorum faciei cervici ſque vibratio. Hinc roſeus genarum color, ſenſuum externorum internorumque confuſio, et apoplexia.

Invidia componitur ex deſiderio, ira, et moerore; et uti debilitatem ultimi, ita febrilem commotionem priorum participat. Hinc oritur hectica febris, quae vires conſumit.

Immo gaudium, dulcis curarum proſcriptor, ſi ſubitum et immoderatum fit, adeo vires deterit, ut mania vel inſperata mors nonnunquam ſequatur.

2. Diuturni et profundi animi labores cerebrum et nervos debilitant, robur corporis conſumunt, ventriculum vireſque concoctrices deſtruunt, ſecretiones impediunt, et veneri inimiciſſimi deveniunt. Hinc cupidi literarum flatulentiis, malo hypochondriaco, paralyſi, corporiſque gracilitati obnoxii ſunt.

3. Alit in ſuo ſinu natura res, quamvis exiguae molis, corpori infeſtiſſimas, venena dicta, quae ob celerem operationem proximum locum merentur. Dividuntur in tria genera; vegetabilia, animalia, et mineralia. Inter vegetabilia enumerantur opium, hyoſcyamus, ſolanum lethale, datura, cicuta aquatica, et aconitum. Haec immediate in ventriculi et inteſti-

norum nervos ſuis partibus narcoticis vel phlogiſticis agunt. Inter animalia enumerantur morſus canis rabidi, viperae, ſerpentum et tarantulae; horum venenorum natura adhuc ignota eſt. Inter mineralia, acida ſincera, cobaltum, diverſae arſenici ſpecies, mercurius ſublimatus corroſivus, et vitrum antimonii; haec operantur primas vias cauſtico ſale corrodendo.

4. Ad hanc claſſem referenda ſunt quaedam medicamenta venenatam vim poſſidentia, uti tartar. emetic., ſcammonium, reſina jalappi, gummi gutta, helleborus albus et niger, colocynth., ſemen cataputii, mercurialia, &c. quae aliquando iiſdem ſymptomatibus ac venena conſtipantur, uti anxietatibus, pulſu debili et celeri, ſingultu, ſpaſmis et convulſionibus, inflammationibus, et ventriculi inteſtinorumque gangraena. Ob hanc cauſam vitanda ſunt. Saturnina, ob vires venenatas, certas quamvis lentas, caute admodum interne exhibenda. Cauſtico ſale ditantur cantharides; ideoque ſumma cum cautela interne uſurpandae ſunt.

5. Aëris diverſae qualitates et mutationes morborum multorum cauſae deveniunt.

Aër gravitate peccans ſanguinem accelerat, pulmones nimis dilatat, et vaſa cutanea comprimendo majorem ſanguinis ad cerebrum fluxum efficit. Hinc pleuritides, peripneumoniae, anginae, capitis dolores, vertigo, et apoplexia. Aër levitate

tate peccans ſanguinis circulationem retardando, et reſiſtentiam externam humoribus intra vaſa pulmonalia contentis minuendo, hemoptoiſin, hyſtericam paſſionem, rheumatiſmum, podagram, et febres intermittentes nervoſaſque gignit.

Aër nimis calidus, particularum ignificarum introductione, fibras laxat, molem humorum amplificat, ſanguinis circulationem incitat, perſpirationem inſenſibilem adauget. Hinc diſſipatio liquidiſſimae ſanguinis partis; adunatio remanentis; debilitas; ſalium multiplicatio et acrimonia; oleorum attenuatio et corruptio. Si diu perſtet hic aëris ſtatus, vel ſubito adveniat frigus ad impediendum particularum noxiarum exitum, tunc oriuntur febres ardentes, bilioſae, &c.

Aër nimis frigidus topicas inflammationes, praecipue anginas, pleuritides, peripneumonias producit, pulmones ſua gravitate nimis diſtendendo, fibras conſtringendo, humores condenſando, et perſpirationem minuendo, particularum frigorificarum introductione. Harum exiſtentia probatur ab aucta aquae in glaciem converſae mole; a qualitatibus aquae regelatae propriis; ab aqua in vacuo vix congelante; ab artificioſis glaciem producendi methodis; ab inſtabilitate gradus frigoris, quo congelatio vel regelatio fit in diverſis temporibus et diverſis regionibus. An

hae particulae frigorificae ſalinae naturae ſint? Rationi experimentiſque conſentaneum videtur.

Nimia ſiccitas ſolida deſiccat, humores inſpiſſat, et ad febres diſponit. Niſi in aridiſſimis regionibus haec mala vix ſentiuntur.

Omnium perniciosiſſima eſt nimia humiditas, quae cuti et pulmoni externe applicata, per venas bibulas intus aſſumpta, totique corpori interne applicata, fibras laxat et debilitat, perſpirationem minuit, et humores nimis aquoſos reddit. Hinc gravedo, tuſſis, aſthma, phthiſis, hydrops, et febres intermittentes, remittentes, nervoſaeque. Ex antedictis harum atmoſpherae qualitatum complicationes diverſae et effectus patebunt. Frigus humidum valetudini plus infeſtum eſt quam ſiccum, quia perſpiratio magis impeditur. Sed calidus, humidus, et levis aër omnium complicationum corpori infeſtiſſimus eſt, ob naturam ſumme relaxantem et putrefacientem.

6. Hinc patet quare certis anni temporibus certi graſſantur morbi. Hyeme enim tempeſtas ſicca et frigida: vere, frigida et humida: aeſtate, calida et ſicca: autumno, calida et humida. Hinc quoque patet, quare venti ad morbos producendos multum contribuunt: alii enim levem, alii gravem; alii calidum, alii frigidum; alii ſiccum, alii humidum aërem advehunt. Eorum notitia

patet

patet a loci diverſa latitudine, expoſitione, et ſitu reſpectu aquarum.

7. Praeter has evidentes aëris qualitates, adſunt aliae non minus ad deſtruendam ſanitatem efficaces, quamvis non ſenſibus patent, neque inſtrumentis patefaciendae. Tales ſunt particulae morbificae, miaſmata dicta, aëri innatantes.

Inter has eminent putrida effluvia ex putrefactis animalibus, vegetabilibus, vel aquis ſtagnantibus paludoſis ſicceſcentibus. Hae particulae, ex ſale pungente et oleo foetidiſſimo compoſitae, eandem putredinoſam fermentationem, quantum fieri poteſt ob motum humorum, chyli novi introitum, et ſecretiones, excitare moliuntur. Inceptam, durante vita, demonſtrant ſymptomata putridae febris et peſtis.

Foſſilia ſubterranea, qualia ſunt diverſi ſales, olea et metalla; aliaque adhuc ignota corpora, vel ſimplicia vel inter ſe compoſita, morbifica effluvia diverſi generis emittunt. Haec experientia foſſorum metallicorum, vaporibus noxiis a quibuſdam locis provenientibus, et multorum morborum origine confirmatur. Hic referri debent vapor ſulphuris accenſi, et parietum nuper calce extructorum.

Quaedam miaſmata morbifica, uti variolarum et morbillorum, aliarum regionum indigenae, per aërem propagantur, ſeſe in corpore humano multiplicant, iterumque viribus auctis exeunt ad e-

oſdem morbos propagandos. Aliquando magis, aliquando minus, ſecundum aëris et corporum diſpoſitionem, agunt, ſed nunquam omnino debellantur.

Cogitatione depingi, ſed non demonſtrari poſſunt, diverſae aëris mutationes, ab ipſis ſalinis, oleoſis et aquoſis particulis inter ſe conjunctis, et fortaſſe in corruptionem quandam aliquando tendentibus. Haud ſanae philoſophiae incongruum videtur, multos referre morbos ſolis et lunae attractioni, et materiei ſubtili noxiae cum radiis luminis ab his advectae.

Tranſmiſſio miaſmatum morbificorum ab aegro in ſanum vocatur infectio vel contagium, quod eſt vel mite vel malignum.

Tranſmittuntur quam citiſſime aegrotantium dejectionibus, dein ſpiritu, poſtremo perſpirabili materia: et adhaereſcunt, vimque ſuam retinent, per longum tempus, in ligno et linteamine; ſed praecipue in veſte ex goſſipio vel lana ipſo aegro magis contagioſa.

Infectio mitigatur magnopere aëre perflabili et ſicco, igne, munditieque; et vice verſa: deſtruitur fumo tabaci, ſulphuris, pulveris pyrii et arſenici, in loco infecto incluſo; forſitan fumo quolibet.

Vis contagii in corpus humanum reſpicit numerum; malignitas periculum aegrotantium.

Haec

Haec morbifica effluvia agunt in ſuperficiem corporis ſecundum copiam, ſubtilitatem, celeritatem, motum, et figuram particularum; et ad ſanguinem deferuntur, 1mo, Per primas vias, a viſcida et fermentationem promovente ſaliva; 2do, Per poros cutis; ſed praecipue, 3tio, Per vaſa bibula pulmonum, ob majorem ſuperficiem, mucum illinentem, et niſum contra aërem in expiratione.

8. Confert quam maximè ad morbos producendos evacuationum naturalium defectus, vel ſuppreſſio. Retentio foecum producit flatus, cruditates, inflationem praecordiorum, dolores ventriculi et capitis: urinae, hydropem, anaſarcam, et febres: perſpirabilis materiae, torporem, gravitatem, tuſſim, rheumatiſmum, febres, omneſque fere morbos: menſium, phthiſin, vomitum vel ſputum ſanguinis, chloroſim, hyſtericam affectionem, cahexiam, hecticam febrem, &c.: haemorrhoidum, aſthmata, hypochondriacum malum, pleuritidem et peripneumoniam: lochiorum, pathemata hyſterica, dolores ventris, inflammationes, febres, purpuram. Hi morbi originem habent vel a plethora, vel a particulis acribus retentis, vel ab utriſque.

9. Uti in ſanitate, ita in morbis, viz. tinea capitis, podagra, rheumatiſmo, ſcabie, eryſipelate, variolis, morbillis, bubonibus peſtilentialibus, fiunt ſalutares ad exteriora evacuationes, quibus

repulſis, ſaeviora quam antea excitantur ſymptomata, ob majorem noxiarum particularum propinquitatem, et corruptionem ſtagnatione auctam.

10. In alimentis duplici modo peccatur, copia et qualitate.

Nimia ſatietas ventriculum diſtendit, motum vermicularem impedit, et vicinas partes comprimit; hinc cruditas, flatus, acida vel putrida ſecundum naturam alimentorum fermentatio, vomitus, diarrhoea, gravedo, dolorque capitis, et plethora.

Sed nimia abſtinentia pejora mala accerſit, debilitatem ventriculi, ciborum rejectionem, evacuationum obſtructionem, humorum acredinem, putrefactionem, et febres periculoſiſſimas.

Acida immoderate ſumpta ventriculum debilitant, alvum conſtipant, chylum et humores coagulant, omneſque ſecretiones impediunt. Dulcia facillime aceſcunt, humores glutinoſas reddunt, vermes producunt, et dentes corrumpunt. Tenacia, qualia omnia farinacea, panis non fermentatus, ligamenta et tendines animalium, caro vel piſcis indurata, fumata vel ſalita, caſeus novus, et opus piſtorium, chylum nimis viſcidum praebent: hinc morbi primarum viarum, obſtructiones, cahexia, leucophlegmatia, et ſcorbutus. Spiritus fermentati humores coagulant, fibras excitant, et molem humorum augent; hinc ſchirroſitates

rositates omnium viscerum, sed praecipue ventriculi, hydrops, atrophia, paralysis, apoplexia, et febris hectica.

11. Vigiliae nimis protractae laedunt nervos, perspirationem impediunt, fibras laxant, et humores acres reddunt. Hinc plerique morbi chronici.

12. Hae causae morbificae, aliaeque quotquot sunt, agunt in vasa et humores vel mechanicis viribus, quatenus solida corpora; vel chymicis viribus, quatenus qualitates quasdam, corpus nostrum respicientes, possident.

Vires mechanicae agunt numero, tenuitate, figura et pondere particularum. Ad hanc classem reducuntur sales caustici et venenati animalium vel vegetabilium; effluvia mineralia e terrae visceribus; spiritus acidi minerales; fumi e carbonibus vel sulphure; effluvia e muris calcariis nuper extructis; et venena mineralia, vel medicamenta veneni vim habentia.

Vires chymicae multifariam agunt; sed praecipue, 1. Adunando et coagulando humores, uti particulae frigorificae, spiritus fermentati, acida omnia, perspirabilis materia retenta, et quaedam febrifica miasmata. 2. Separando et dissolvendo humores, uti particulae calidae, aquosae, scorbuticae, quaedam salium et venenorum species, quaedam miasmata febrilia, omniaque fere pestifera. 3. Acidam fermentationem in primis viis excitando,

excitando, uti vegetabilia aceſcentia, omnia dulcia, vinum auſterum, et acida. 4. Putridam fermentationem intra vaſa producendo, uti putrida effluvia. 5. Alios motus fermentativos in ſanguine concitando, quibus multiplicantur cauſae morbificae, uti accidit in rabie canina, lue venerea, morbillis, variolis, omnibuſque morbis contagioſis. 6. Vim nervoſam debilitando vel deſtruendo, uti narcotica.

SECT. IV.

De cauſis praediſponentibus.

1. EFfectus cauſarum remotarum vel diminuuntur vel augentur ſecundum naturam corporis quod occupant. Hinc cauſarum praediſponentium notitia ſcitu neceſſaria eſt.

2. Omnibus morbis obnoxia maxime eſt infirmitas; minime firmitas.

3. Figura corporis externa ad quoſdam praediſponit morbos, uti cervix longa, et thorax anguſta planaque ad phthiſim; brevis cervix ad apoplexiam; obeſitas ad aſthma, et gracilitas ad laterum dolores.

4. Fibrae nimis ſtrictae et elaſticae circulationem accelerant, calorem augent, ſanguinem compingunt et adunant, rubrorum globulorum quantitatem et inflammabilitatem adaugent, plethoram

thoram producunt, et ſerum glutinoſum reddunt; ibi diſponitur corpus ad inflammationes, pleuriſim, rheumatiſmum, et febres acutas inflammatorias. Ubi, contrà, aquoſa ſanguinis pars praevalet et lenteſcit, deficiuntque ſecretiones ob nimis laxam fibrarum compagem: in hoc ſolidorum et fluidorum ſtatu pertimeſcendae ſunt cahexiae, hydropes, tumores aedematoſi, intermittentes, remittentes, et febres lentae nervoſae dictae. Hinc temperamentorum diverſorum morbi deducendi ſunt.

5. Fabrica delicata, nervis voluptates et dolores exquiſite ſentientibus donata, hæmoptoiſi et phthiſi pulmonali ſaepe tentatur.

6. Sanguis diſſolutus, minime cohaerens, lividus, cito putreſcens, et in craſſamentum ſerumque minime ſecedens, ſcurbuto, largis haemorrhagiis, dyſenteria maligna, et febribus putridis tentatur.

7. Uti divitiis, ita morbis parentum liberi ſuccedunt. A quadam enim haereditaria ſolidorum et vaſorum minimorum ſtructura praediſponitur corpus ad hyſtericum et hypochondriacum malum, calculum, phthiſim, epilepſiam, ſtrumam, rheumatiſmum, et podagram.

8. Nonnulli morbi aliis morbis viam ſternunt; ut aſthma, hydropi; remittens vel intermittens febris, malo hyſterico vel hypochondriaco, tumori lienis et hydropi; colica, paralyſi; variolae et morbilli,

morbilli, oculorum inflammationi et phthisi. Pars aliqua, semel vitiata vel debilitata morbo, a leviori causa semper postea vitiatur.

9. Diversae aetates diversis morbis opportunae sunt. Aetas infantilis dentitioni, vermibus, rachitidi, morbo ab acido, convulsionibus et strumis; acutis morbis adolescentia; sed longis, uti tussi, scabiei, hydropi, asthmati, obstructionibus, senectus patet.

10. Praedisponuntur foeminae ad chlorosin, hystericum malum, plethoram, motus spasticos convulsivos, morbos nervosos, et pathemata animi violentiora.

SECT. V.

De causis morborum proximis.

1. CAusarum proximarum effectus morbosos immediate excitantium, notitia medico utilissima est, quia in affectionis et remediorum cognitionem amplissimam eum deducit.

2. Antiqui medici in causis proximis adeo hallucinati sunt, ut Empirici hanc quaestionem quasi incomprehensibilem, ideoque supervacuam, rejecerint. Huic disputantium errori et discordiae originem praebuerunt inscitia circuitus sanguinis, et parum usitata, ob superstitionem, cadaverum

verum inſpectio. Neque melius merentur de medicina recentiores, qui morbos deduxerunt ab alkali acidove intra venas, quia non adhuc certis experimentis conſtat, alkalinos vel acidos ſales humoribus noſtris ſanis vel morboſis ineſſe; deliterio aliquo; furibundo archeo; diſcurſivo ſpirituum motu; calidi innati defectu; qualitate humorum maligna; aliiſque ineptiis.

3. Cauſae morborum proximae inveſtigandae ſunt, 1. A natura et viribus cauſarum remotarum praecognitis. 2. A diverſis morbi ſymptomatibus inter ſe collatis, et ad unam ſimplicem cauſam ſevero ratiocinio ducentibus. 3. A remediis et perniciofis et ſalutaribus, durante morbo, applicatis. 4. A mortuorum ſectione. In poſteriore cavendum eſt, ne effectus cauſarum pro ipſis cauſis habeantur.

4. Ingenue tamen confitendum eſt, cauſas quae morbos immediate excitant plerumque difficiles, aliquando inſcrutabiles eſſe, ob abditam et ſubtiliſſimam ſuam naturam, ipſarum mutabilitatem, et concatenationem effectuum qui a cauſis remotis pendent: illas ideoque non ſemper ſcientia comprehendunt, ſed conjectura ſaepe perſequuntur medici. In tam incerta et obſcura quaeſtione, verecundia et diffidentia, potius quam opinionis tenacitas, mortalibus caecis conveniunt. Quam plurimas vero generales cauſas experientia confirmavit.

5. Inter

5. Inter has ob frequentiam merito primum locum occupant ſtaſes vel ſtagnationes diverſorum humorum. Staſis vel ſtagnatio ſanguinis producit febres inflammatorias, ſecundum partes affectas, diſcrepantes: ſeri, ſpaſmos, rheumatiſmos acutos et chronicos, hydropes, anaſarcam, lippitudinem, tuſſim, dolores dentium: lymphae, hydropes, tumores glandularum: vis nervoſi, vertiginem, apoplexiam, et paralyſim.

6. Nimia ſanguinis copia vel plethora, a nutriente dieta, quiete, et evacuationum ſuppreſſione, orta, vaſa totius corporis, ſed praecipuè viſcerum abdominalium, ubi ſegnior circulatio, diſtendit et infarcit: hinc debilitas, gravitas, capitis dolor, inſomnia turbulenta, reſpiratio difficilis, malum hyſtericum et hypochondriacum, polypoſae concretiones, inflammationes, febres.

In ſtatu inanitionis pejora pullulant mala. Oritur ab inedia, ab evacuationibus naturalibus vel praeternaturalibus nimiis. Deficiunt ſecretiones et excretiones, tardior fit circulatio, ſtagnant humores et corrumpuntur. Hinc ſumma debilitas, reſolutio ventriculi, maraſmus, febris hectica, tumores ſchirroſi, hydropes, febres putridae.

7. Nimia ſalium acrium in ſanguine copia, a dieta ſalita, liquoribus fermentatis, medicamentis calidis et evacuationibus ſuppreſſis, generata, originem praebet multis morbis, viz. cutaneis eruptionibus,

ruptionibus, rheumatiſmo, podagrae, defluxionibus acribus, doloribus colicis, maraſmo, ſcorbuto, et febri hecticae.

Ab acidis ſalibus in primis viis ſtabulantibus oriuntur flatus, diſtentiones, anxietates, tormina ventris, foeces viridae, debilitas, tinea capitis, in infantibus diarrhoea, et in adultis venter plerumque conſtipatus.

8. Plurimae cauſae remotae, praecipue febriles, agunt in corpus adunando vel diſſolvendo ſanguinem. A nimia adunatione producuntur obſtructiones, dolores, inflammationes, polypoſae concretiones, ſecretionum naturalium diminutio, febres inflammatoriae; a nimia diſſolutione, ſeceſſus in vaſa lateralia ſeroſa, maculae purpureae, frequentes ſanguinis irruptiones, ſcorbutica ſymptomata, et febres malignae putridae.

9. Tumores interni, duri, ſchirroſi, diverſorum viſcerum deſtruendo functionem partis affectae, vitiando ſanguinem, et comprimendo vaſa vicina, varios morbos, ſicuti hydropes, aſthmata, flatus, variaque ſecundum locos affectos ſymptomata, excitant.

10. Suppurationes internae multorum morborum cauſae exiſtunt, quales ſunt febres hecticae cum remiſſione et exacerbatione, ſudores nocturni, diarrhoeae, marcor, et appetitus proſtratus.

11. Calculi in veſica fellea vel ductu communi cholidocho, nauſeam, icterum, vomitum, dolorem in dextro hypochondrio, alvi obſtructionem

et

et respirationem difficilem; in renibus, ureteribus vel vesica, dolores, inflammationes, vomitus, ulcera, urinam sanguineam, et urinae suppressionem, excitant.

12. Polypi saepissime occupantes thalamos cordis, arteriam pulmonalem, uterina vasa et sinus cerebri, subitas palpitationes, dolorem pectori infixum, inaequales et intermittentes pulsus, anxietatem, duspneam et leipothumeam, concitant.

13. A vermibus in primis viis praecipue nidulantibus originem trahunt tormina ventris, febres erraticae, convulsiones, appetitus auctus, et erosiones intestinorum.

14. Effusiones et stagnationes sanguinis, seri, vel lymphae in diversas corporis cavitates varia producunt symptomata secundum partes affectas.

SECT. VI.

De causarum morbificarum sede.

1. CORporis humani partes, quae in unoquoque morbo a causis morbificis praecipue afficiuntur, detegendae sunt; quia ad symptomatum rationem, prognoseos certitudinem, et remediorum applicationem intelligendam, haec notitia medico conducit.

2. Omnes

2. Omnes caufae morbis inferendis accommodatae agunt, vel in partes folidas, vel in fluidas. Partes folidae dividuntur in membranaceas, parenchimatofas, nervofas, et offeas. Fluidae in globulas rubras, ferum, lympham, et quod ambigitur liquidum nervofum.

3. In partibus folidis praecipue fedem fuam habent morbi chronici et lenti, haereditarii et quotquot a caufis mechanicis, uti venenis multis, acribus ingeftis, punctione, compreffione vel erofione, originem fuam trahunt.

4. Fluidis et humoribus praecipue inhaerent morbi febriles, qui cito terminantur, et qui ab aëris qualitatibus vitiatis vel contagio originem habent. In fanguine rubro febres inflammatoriae et putridae: in fero, febres lentae, rheumatifmi et podagra: in lympha et glandulis lymphaticis, lues venerea, et caufae aliquae peftilentiales, uti patet glandularum lymphaticarum tumefactione: in fyftemate nervofo, febres malignae nervofae, peftes multae, effectus odorum, multaque venena, qualia opium, hyofcyamus, et folanum; haec fedes eft omnium peffima et periculofiffima, quia ab hac parte corporis vires pendent.

5. Plurimis morbis fedem praebent partes nervofae et membranaceae, quae motui et fenfationi immediatè dicantur: cerebrum, epilepfiis, infaniis, affectibus foporofis, apoplexiis; nervi, fpaf-

mis, convulſionibus, tetano, palpitationibus, aſthmati convulſivo, vomitui, malo hyſterico et hypochondriaco, paralyſi.

6. Nulla corporis pars tantum morbis patet, quantum canalis iſte membranaceus e ventriculo et inteſtinis compoſitus. Hic enim poſſidet multas plicas et flexuras ad retardandas cauſas morbificas; hic peculiari et admodum lenta circulatione donatur: in hunc deſcendit aër particulis morboſis ſaepe repletus: in hunc deſcendunt alimenta et potus diverſae naturae, quae ſaepe in acidam, ſaepe in praematuram putredinoſam fermentationem ruunt: huic quoque adſunt diverſi liquores, uti ſaliva, ſuccus pancreaticus, bilis utraque, aliique humores naturae valde fermenteſcibilis: in hoc ſemper corrumpitur fibroſa ingeſtorum pars. Sedem ergo praebet cardialgiae, anxietatibus, flatibus, ſpaſmis, colicis doloribus, ilio, iliacae paſſioni, diarrhoeae, dyſenteriae, capitis dolori, et vertigini.

7. Materia morbifica nonnunquam mutat ſedem, quae metaſtaſis appellatur. Haec vel ſalutaris, quando extrorſum, vel ad partes minus periculoſas; vel perniciosa, quando introrſum, vel ad partes magis periculoſas determinatur.

SECT.

SECT. VII.

De ſymptomatibus morborum.

1. EFfectus praeternaturales qui oriuntur durante morbo ſymptomata vocantur. Haec ſimul concatenata morbum conſtituunt; neque, pace Galeni, ſymptoma a morbo, aliter quam pars a toto, differre mihi videtur.

2. Haec morborum ſymptomata vel ſenſatione aegrorum percipiuntur, vel adſtantium ſenſibus pateſcunt, vel cadaverum inſpectione deteguntur. In hac cavendum ne cauſae cum ſymptomatibus confundantur.

3. Effectus, qui immediatè a cauſis morboſis oriuntur, vocantur ſymptomata cauſae: haec ſymptomata rurſus cauſae deveniunt aliorum ſymptomatum, quae appellantur ſymptomata ſymptomatum.

4. Omne ſymptoma conſiſtit in laeſione alicujus actionis vel vitalis, vel naturalis, vel animalis.

5. Haec ſymptomata accurate, plene, ſine ulla ratiocinatione, et eodem ordine quo ſaepiſſime extiterunt, deſcribenda ſunt. Advertendum enim eſt, quod omnia non ſemper in unoquoque,

neque in eodem ordine, ob varias corporum naturas, exiſtunt.

6. Diverſae medendi methodi diverſa in eodem morbo excitant ſymptomata. Haec adventitia phaenomena a ſymptomatibus morbo peculiaribus et perpetuis accurate diſtinguenda et ſecernenda ſunt. Hoc niſi fiat, judicium circa morbos devenit inincertum.

7. An morbus eſt ens ſpecifica, tam naturalis et methodica in ſua productione et maturatione, ac planta vel animal? Quanquam maxima eſt inter morbos ejuſdem ſpeciei ſimilitudo; tamen nonnunquam variant ob varietatem corporum, et nonnunquam tranſmutantur in alios diverſae plane naturae.

SECT. VIII.

De ſymptomatum genealogia et ratione.

1. POſt nudam et fidelem ſymptomatum deſcriptionem, ad eorum originem et rationem tranſeundum eſt, cujus cognitio medico conducit ad firmandam prognoſim, et ad mitigandam vel tollendam ſymptomatum vim.

2. Omnia deducenda ſunt ſymptomata ab actione cauſae proximae, et reactione partium affectarum ad hanc cauſam excutiendam; inſitis enim viribus

viribus ſentit et expellere nititur omne nocivum machina noſtra artificioſiſſima.

3. Hinc ad explicanda ſymptomata neceſſario requiritur notitia qualitatum cauſae proximae mechanicarum, vel chymicarum, et naturalium actionum corporis humani. Hiſce ſolis, et non hypotheſibus vanis, exſtruitur vera ſymptomatologia.

4. Sed magna adeſt ſymptomatum caterva, quae non in loco primarie affecto, ſed in alio conſentiente ſeſe monſtrant; ideoque ſymptomata per conſenſum vel ſympathiam appellantur. Connectuntur et conſentiunt variae partes ope tendinum, ligamentorum, et nervorum; quorum ſitus et diſtributio, praecipue quinti octavique paris, et intercoſtalis nervi, has ſympathias patefaciunt.

SECT. IX.

De criſi.

1. CRiſis eſt morbi mutatio, plerumque ſubita, vel in ſalutem, vel in mortem. Hinc bona, vel mala, ſecundum eventum. In priore ſenſu ab hodiernis medicis plerumque intelligitur.

2. Acutos et febriles morbos, rariſſime chronicos, comitantur criſes, quamvis in hiſce quo-

que aliquando conſpiciuntur; hydrops enim judicatur diarrhoeâ, vel cutis diſruptione; apoplexia ſudore; et icterus alvo ſolutâ. Neque in omnibus febribus, praecipue longis et lentis, criſis accidit ſenſibilis.

3. Criſim in acutis plerumque praecedit magna perturbatio, ſymptomatumque exacerbatio omnium, quibus, ſi fauſta ſit criſis, deſinentibus ſuccedunt copioſi ſudores; urina ſedimentum ad fundum vaſis deponens; alvus ſoluta; vomitus; ſalivatio; ſecretio muci glandularis e naribus, trachia, vel pulmonibus aucta; haemorrhagia narium, uteri, vel vaſorum haemorrhoidalium; puſtulae, tumores, apthae, vel bubones, quae vel mitigant vel tollunt febrem.

4. Hinc patet quomodo evacuationes criticae ab evacuationibus morboſis diſtinguendae ſunt, nempe alleviatione morbi, quae priores ſed non poſteriores comitatur. Hiſce enim morbi plerumque in pejus ruunt.

5. Cauſae morbificae ſummo vigore in vaſa agentes, et vaſa ſummis viribus contra renitentia, perturbationem criticam excitant. Si viribus vaſorum ita collectis reſiſtunt particulae febriles, criſis devenit infauſta. At ſi motu mutentur, vel calore digerantur, vel aliarum particularum combinatione mitigentur, ut pro noxiis innoxiae fiant, tunc diminuitur febrilis motus febriſque ſymptomata, ceſſant ſpaſmi, viae excretoriae magis

gis patulae deveniunt, auctaque aliqua evacuatione elabitur materia morbifica, ad ſecretionem jam aptata, vel, ſecundum antiquos, concocta. Hinc nullae proſunt evacuationes ſive naturales, ſive artificiales, niſi cauſas morbi abluunt.

6. Hic agitur controverſia inter Medicos Stahlianos et Mechanicos. Priores criſim et expulſionem cauſarum morbificarum animo rationali; poſteriores legibus mere mechanicis, ſine ejus interventu, attribuunt. In hac diſputatione, ut in omnibus fere aliis, media quodammodo inter diverſas ſententias tenenda eſt opinio: nam animus, quamvis non conſcius, motum vaſorum neceſſario accelerat; caetera omnia motus auctus perficit.

7. Sed majoris momenti diſputatio olim inter antiquos medicos, et nunc inter hodiernos agitur, Num certi dies critici, necne, ſint? Hippocrates, ejuſque aſſeclae, in diebus quaternariis, viz. quarto, ſeptimo, undecimo, quarto decimo, decimo ſeptimo, vigeſimo primo, &c. calculo a febris rigore deſumpto, criſim fieri, hancque magis ſalutarem futuram eſſe in his quam in aliis, et praecedentem quaternionem, quodcumque in futuro obtingit, indicaturum, ideoque diem indicem appellatum fuiſſe: Hippocratis vero aemuli hanc doctrinam, ut vanam, repudiantes, neque in ullo die vel magis vel minus periculi adfuturum aſſeruerunt. In tanta opinionum diverſitate, non rationem, ſed experientiam ſequi, et

morborum hiſtorias adire debemus. Hae, ſeu ab antiquis ſeu modernis conſcriptae, ſaepius in his quaternariis, quam in aliis diebus, criſes accidiſſe teſtantur; ideoque prudentis medici eſt ad dies hoſce praecipue attendere.

8. Errant hi qui a perfectione numerorum, vel ſolis lunaeque conjunctionibus, criticos dies deducebant. Tempus nihil aliud eſt niſi menſura motuum quibus criſes perficiuntur; et quia definitus motuum numerus ad cauſarum morbificarum expulſionem requiritur, ideoque definitum tempus. Quod definita motuum repetitio hunc effectum producere valet, a voluntate Dei ter opt. max. pendet, qui hanc rerum ſeriem aeternis legibus ligat.

9. Multa ad accelerandam, vel poſtponendam criſim valent. Accelerant aetas juvenilis, corporis caliditas vel ſenſibilitas, vis morbi, calor vel ſiccitas regionis, et medicamenta ſtimulantia. Poſtponunt temperamentum phlegmaticum, aetas ſenilis, frigida vel humida regio, victus craſſus, nimiaeque evacuationes.

SECT. X.

De diagnoſi.

1. DIagnoſis eſt ea pars pathologiae quae tractat de ſpecifica morborum conſimilium natura

natura et differentia. Sine hac ſcientia nulla ſtabilis inſtitui poteſt prognoſis vel therapeia, et medicus adſtantibus ſaepe ludibrio fit.

2. Exſtruitur diagnoſis omnium ſymptomatum notitia, ſed praecipue eorum quae ſemper morbum concomitantur, et ob hanc characteriſtica vel pathognomonica dicenda ſunt. Haec ſymptomata characteriſtica in diagnoſi ſemper enumeranda ſunt.

SECT. XI.

De prognoſi.

1. PRognoſis eſt ſcientia ſignorum, quibus ea, quae aegro eventura ſint, praecognoſcimus. Nihil magis confert ad morborum vel ſymptomatum medelam, quam eorum praeviſio; nihil magis confert ad medici famam, quam futurorum praedictio: et merito; maximam enim in morbo experientiam, rationemque ſanam demonſtrant.

2. In hac pathologiae parte maximam meritus eſt, et acquiſivit laudem Hippocrates ab omnibus medicis, et antiquis et recentioribus; quamvis nonnulla in curationibus mutârint, tamen illum optime praeſagîſſe fatentur. Omnibus attamen ejus prognoſticis haudquaquam fidendum eſt;

eſt; plurima enim fallunt ob diverſitatem regionum et corporum; plurima quoque ob paucitatem experimentorum a quibus hae regulae prognoſticae deſumptae fuere.

3. Ars prognoſtica revera conjecturalis eſt; ratioque conjecturae talis eſt, ut, cum ſaepiſſime reſponderit, interdum tamen fallat. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. Non itaque ſi quid rariſſime aliquem deceperit, ideo fidem non habeat, cum ſaepiſſime reſpondeat.

4. Nulla in corpore humano fit mutatio, vel ad ſanitatem vel ad mortem, ſine antecedenti cauſa. Haec gradatim operans effectus, ſuis viribus congruentes, ſemper producit. Hiſce proſpectis nititur ars prognoſtica; et in his vel ſpes vel deſperatio oritur.

5. Ad haec potiſſimum, in praeſagiis faciendis, attendendum eſt. 1mo, Quiſnam ſit futurus morbi eventus. 2do, Quo tempore morbus criſim habiturus ſit. 3tio, Per quas vias natura ſeſe a cauſa morbifica liberabit.

6. Fauſtus vel infauſtus morbi eventus petitur, 1. Ex obſervationibus in ſimili morbo notatis. 2. Ex praegreſſis in eodem corpore ſimilibus morbis. 3. Ex viribus vitae praeſentibus cognitis, et cum viribus cauſae morbificae comparatis. Ex his notis, quid eventurum ſit, colligere poſſumus.

7. Vis

7. Vis vitae exploratur ex habitu corporis firmo, vel debili; aetate; ſexu; praegreſſa vitae ratione; regione; morbi tempore; praeſenti ſtatu functionum animalium, naturalium, ſed praecipue vitalium.

8. Vis morbi manifeſtatur majore vel minore malignitate cauſae morbificae; ſymptomatum, ſed praecipue pathognomonicorum, acerbitate; tempore morbi quando haec appareant ſymptomata; cauſarum morbificarum ſede; methodo medendi.

9. Quo enim plura ſunt indicia ad eundem eventum tendentia, eo certior; quo pauciora, eo incertior prognoſis.

10. Similia ſigna non ſimiles effectus denotant in acutis chronicisque malis ob diverſas eorum naturas. Hinc ambobus non eaedem quadrant regulae.

11. Similia ſigna non idem portendunt periculum in unaquaque morbi periodo. Convulſiones enim in primo variolarum, ſtadio plerumque fauſtae; in ultimo ſaepe infauſtae.

12. In acutis morbis magis fallaces ſunt quam in chronicis notae ſalutis et mortis.

13. Ratio ſemper habenda ad vires et aetatem aegri; proſternuntur enim imbecilli et ſenes a malis, quae robuſtiores in vitae diſcrimen vix adduxerunt.

14. Si

14. Si haec omnia ſeorſim perpendat medicus, dein fauſtas cum infauſtis notis trutinet, plerumque praedicere poteſt, qualis ſit ſecuturus eventus; ſi nihil novi, quod aegri ſtatum mutet, extrinſecus accidat.

15. Morborum omnium, qui certas periodos non habent, ſed praecipue chronicorum, admodum incerta eſt prognoſis temporis. In genere, quo vires vaſorum cauſas morbificas magis ſuperant, vel vice verſa, eo citius terminatur morbus; quo magis aequales ſunt, eo longius protrahitur. Judicio medici quoque opitulatur conſideratio cauſarum quae accelerant vel poſtponunt criſim.

16. Ad vias criſeos inſtantis determinandas, antiqui quaedam indicia notaverunt. Praedicitur haemorrhagia narium rubedine oculorum, viſus hebetudine, acuto occipitis dolore, temporum gravitate et pulſatione, lachrymis involuntariis, et praecipue narium pruritu: ſudor, ſubita urinae ſuppreſſione, rigore, pulſu molli et undoſo, externarum partium calore, cute molli: vomitus, morſu ventriculi, vertigine, nauſea, ſaliva multa et tenui, labrique inferioris agitatione: diarrhoea, flatu, et ſtrepitu alvi, et tumefactione abdominis: evacuatio per urinam, gravitate hypochondrii, inflatione veſicae, aucta urinae quantitate, et ſenſu ardoris.

17. Inter

17. Inter hodiernos Solanus alias notas criticas evacuationes praeſagiendi tradidit. Pulſus dicrotus vel digitum bis feriens, indicat haemorrhagiam narium; quo ſaepius repetitur talis pulſatio, eo magis inſtat criſis: pulſus intermittens, ſi vires non deficiant, alvi ſolutionem: ſi cum intermiſſione complicatur durities, vomitum cum diarrhoea; ſi mollities, evacuationem per urinam: pulſus inciduus, ubi quaedam ſucceſſivae pulſationes gradatim ſupra ſe invicem inſurgunt, criticum ſudorem praeſagiunt. Sed haec indicia non ſatis adhuc uſu et experientia confirmata ſunt.

18. In genere, prudentis eſt medici, quamprimum gravis metus ſubeſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe; ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel fefelliſſe exiſtimetur. Sed ut haec prudenti viro conveniunt, ſic rurſus agyrtae eſt, parvam rem attollere, quo plus praeſtitiſſe videatur.

PARS

PARS TERTIA.

De morbis medendis.

SECT. I.

De Therapeia.

1. ITA conſtructum a ſummo Opifice eſt corpus humanum, ut nervoſae partes, a pleriſque cauſis morbificis, irritentur. Hac irritatione major vis nervoſae quantitas in fibras motrices influit, motus ſolidorum et fluidorum accelerantur, et augetur actio contra cauſas morbificas. Hinc quantitas ſuperflua laedens ejicitur, qualitas vitioſa corrigitur, ſtaſes humorum diſſolvuntur, viſcerum obſtructiones reſerantur, et morbi profligantur.

2. Antiqui, circuitu ſanguinis adhuc incognito, motibuſque mechanicis abhinc dependentibus haud intellectis, totum opus Naturae, vocabulo indiſtincto, tribuebant. Per Naturam, morborum medicum, ſubintelliguntur motus morboſi, qui in corpore ſine ullo adjumento perficiuntur.

3. Hi motus morboſi vel univerſales, vel particulares ſunt. Univerſales, quando motus per totum

totum ſyſtema vaſculoſum ob validam irritationem augetur: particulares, quando ob levem irritationem in parte aliqua tota agitur res, uti in doloribus, ſpaſmis, haemorrhagiis, &c. accidit.

4. Auxilia praecipua, a motu procedentia quibus utitur natura ad debellandas, et expellendas morbificas cauſas, ſunt, 1. Rigores et tremores febriles. 2. Aucta fluidorum circulatio. 3. Generales vel particulares convulſiones. 4. Inteſtinus humorum omnium motus auctus, vel novus ſuſcitatus. 5. Calor praeternaturalis. 6. Sitis, quae ſi non motus, ſaltem morbida ſenſatio a motu procedens.

5. Non ſimul et ſemel debellantur cauſae morbificae. Egent enim hi motus mechanici et inteſtini ordine debito, et tempore determinato ad ſuum opus perficiendum, viiſque ad materiae expulſionem accommodatis.

6. Quando hi motus morbis debellandis exacte aptati ſunt, nulla tunc artificialis medicinae patet janua; Natura enim totam ſibi vindicat medelam; et jure optima morborum medicatrix cenſetur. Tunc medicum plus ſpectatorem quam actorem eſſe oportet.

7. Sed a ſuo ſcopo ſaepe aberrat Natura. In multis enim morbis chronicis, uti lue venerea, hyſterica et hypochondriaca affectione, rachitide, ſcabie, &c. nullus excitatur motus, ideoque nulla expectanda medela. In multis nimis languidi

vel

vel effrenes hi motus ſunt; ideoque inſtitutum vel non abſolvunt, vel pervertunt. In quibuſdam, praeſertim ubi cauſa extra vaſa irritata ſita eſt, uti in calculo, vermibus, liquoribus extravaſatis, &c. motus non modo non ſalutares, ſed admodum perniciofi ſunt. Hinc Natura aliquando prodeſt, aliquando obeſt; ideoque non ſemper et ubique ſequenda.

8. Ars itaque in auxilium vocanda eſt ad defectus Naturae ſupplendos et corrigendos. Motus, quando nullus adeſt, excitandus. Nimis debilis, ſub Naturae auſpiciis, augendus; omniaque impedimenta ad motum naturalem removenda ſunt. Nimis effrenis, diminuendo cauſas irritantes vel corporis ſenſibilitatem, moderandus. Perniciofus denique, omnino ſedandus; vel, ſi non fieri poſſit, a locis magis neceſſariis avertendus. Hoc naturae, hoc artis officium; et ſua cuique merita laus tribuenda eſt. Hiſce intellectis, nunquam poteſt oriri haec frequens diſputatio, An ſecunda valetudo medicinae, an corporis beneficio, contigerit?

9. Quodcunque, vel ſecundum vel contra ſanitatem, in corpore obſervatum, quod aliquid faciendum medico indicat ad ſanitatis remanentis tutelam, vel morbi depulſionem, Indicans appellatur. Notitia earum mutationum, quas indicans requirit, Indicatio appellatur. Indicatum denique eſt medicamentum quod ad hunc eventum

tum aſſequendum indicatur, et indicanti congruit.

10. Indicatio exoritur, 1. A probe perſpectis et intellectis cauſis morbi proximis, quae rationi, quid faciendum ſit, oſtendunt. 2. Ab ipſa experientia, morborumque hiſtoriis, quae, quamvis in tenebris latent et cauſae remotae et proximae, tamen multa comprobaverunt auxilia, ſpecifica dicta, quorum natura et agendi ratio adhuc ignoratur, et forſitan ſemper latebit. 3. Ab his ambobus ſimul junctis, et ad eandem metam tendentibus. Haec optima et firmiſſima medendi methodus eſt.

SECT. II.

De remediorum viribus.

1. OMnis ars inſtrumentis ad ſuum opus perficiendum eget. Inſtrumenta artis medicinalis appellantur auxilia vel remedia. Haec in tria genera deducta ſunt. Unum quod medicamentis, alterum quod victu, tertium quod manu medetur; primum φαρμακευτικην, ſecundum διαιτητικην, tertium χειρουργικην, Graeci nominaverunt. De hac a prioribus nunc ſeparata, et ad chirurgos relegata, hic non tractabitur.

2. Uti artifex inſtrumentorum, quibus opera

tur, naturam et vires, ita medicus poteſtates remediorum, quae ſub certis legibus corpori humano tali modo conſtituto applicantur, callere debet.

3. Quia corpus peccat vel ob quantitatem deficientem aut excedentem, vel ob qualitatem vitioſam fluidorum aut ſolidorum, vel ob corpora extranea irritantia, ita omne auxilium aut adjicit, aut demit, aut permutat aliquam materiam, aut denique expellit vel deſtruit corpora mechanice agentia. Quaedam non uno modo tantum, ſed etiam duobus inter ſe non contrariis, adjuvant. Non ultra hos limites progrediuntur vires remediorum.

4. Materia optime adjicitur alimentis, id eſt cibo et potu. Haec ſunt aut valentis et firmae, aut mediae, aut imbecillae vel infirmioris naturae. Nonnulla ad certa fluida proprie tendunt; hinc haimatopea, galactopea, ſpermatopea.

5. Demitur materia ſuperflua abſtinentia; exercitiis; frictione; ſanguinis detractione per venaeſectionem aut arteriotomiam, vel cucurbitulas, vel hirudines; fonticulis vel epiſpaſticis; vomitu; laxantibus, vel purgantibus; alvi ductione; lotionibus; diaphoreticis, vel ſudorificis; diureticis; emmenagogis; expectorantibus; ſalivantibus; errhinis, et apophlegmatiſantibus.

6. Materiam permutant, 1. Medicamenta alterantia, qualia abſorbentia, diluentia, temperantia,

tia, attenuantia vel incidentia, antiſeptica, et demulcentia vel emollientia. 2. Roborantia, qualia analeptica vel cordialia, balſamica, ſtomachica, viſceralia, aſtringentia, vulneraria. 3. Sedantia, qualia anodyna, antiſpaſmodica, antiepileptica, hypnotica et narcotia. 4. Specifica.

7. Expellunt vel deſtruunt corpora extranea mechanice agentia, carminativa, alexipharmaca, anthelminthica, lithonthriptica.

8. Haec alimenta et medicamenta non ſuis et propriis qualitatibus morbos adoriuntur, ſed viribus compoſitis ex motibus naturalibus et artificialibus. Eorum effecta obſervatione et experientia deteguntur.

9. Inumbrantur illorum vires, 1. Quia omnes morbi circumſtantiae ante adminiſtrationem non exacte notantur et deſcribuntur. 2. Quia plurimae morborum cauſae, quas debellant, adhuc ignorantur. 3. Quia principia, quibus hae vires dependent, neque ſatis deteguntur, neque legibus mechanicis aut chymicis dilucide explicantur. 4. Quia compoſita, ſaepius quam ſimplicia remedia, uſurpantur; unde dubius haeret medicus, cui potiſſimum adſcribendus ſit effectus, vel an non plane diverſus a ſimplicibus. 5. Quia effectus remediorum non ſatis diſtinguitur ab effectibus morbi.

SECT. III.

De artis in medendo legibus.

1. QUanquam vix ulla perpetua praecepta medicinalis ars recipit, tamen in medendo quaedam ſunt regulae generales vel axiomata, quibus fere obligatur artifex, quo remedia, magis ſecure et expedite, optatos producant effectus.

2. Ad felicem medelam requiritur notitia proprietatum, non ſolum aegrotantis, ſed etiam ſani corporis. Inveniuntur enim corpora, in quibus aliter atque in caeteris idem evenit. Ideoque cum par ſcientia ſit, utilior tamen medicus eſt amicus, quam extraneus.

3. Raro quiſquam non aliquam partem corporis imbecillam habet; cujus quotiens offenſum corpus eſt vitioſa pars maxime ſentit. Huic praecipue ſuccurrendum eſt.

4. Medicus interdum plus quiete, quam movendo atque agendo, proficit.

5. Ars obſervare et ſequi debet ordinem, tempus, et ſucceſſiones motuum, quibus natura, ad curationem abſolvendam, incedit.

6. Morbus occurrendum in principio et remiſſionibus vel intermiſſionibus, ſed non in ſummo

paroxiſmi

paroxiſmi vigore, niſi ad ſymptomata levanda; quia partes nervoſae tunc ſpaſmodicis contractionibus tentantur.

7. In paroxiſmo nitendum eſt, ut impetum morbi trahendo, porrigatur in id tempus, quod curationi locum praeſtat.

8. Medicamenta naturae corporis ſemper accommodanda ſunt; debilibus enim debilia, et fortibus fortia conveniunt. Neque unquam, quod infirmioribus fieri poteſt, fortioribus medicamentis aggrediendum. Neque quicquid repente in corpore mutandum, quod aeque tuto paulatim fiat.

9. Attamen multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda. Nec poſſe vehementi malo niſi aeque vehemens auxilium ſuccurrere.

10. Perpauca, eaque bene explorata medicamenta, tentanda. Qui multis promiſcue et paſſim utitur, nulla probe noſcit.

11. Neque crebro, neque ſine cauſa, in longis morbis, mutandae ſunt applicationes longa experientia comprobatae; arguit enim vel ignorantiam indicationis vel remediorum.

12. Sed cum omnibus eadem convenire non poſſunt, eſt circumſpecti hominis novare interdum, et augere morbum, et febres accendere: quia curationem ubi id quod eſt non recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt. Hinc, quos ratio non reſtituit, temeritas fere adjuvat.

13. In applicatione remediorum obſervandum eſt anni tempus; facilius enim curantur quotquot ab obſtructionibus proveniunt morbi, tempore vernali et aeſtivo, quam autumnali et hyemali.

14. Obſervandum quoque eſt tempus diei; evacuantia et ſtomachica mane optime adminiſtrantur, ſed opiata melius in genere circa tempus nocturnum.

15. Nihil commodius eſt quam cauſam morbi, qua via primum expelli poteſt, ejicere; quia humores minus inquinantur, et corpus minus labefactatur.

16. Officium eſt medici impetum morbi a parte magis neceſſaria ad partem minus neceſſariam vertere.

17. Evacuationes per alvum, cutem, et renes nunquam excitandae, niſi materia excretioni antea aptetur, et viae ad hanc emittendam propriae pateſcant.

18. Quando ingraveſcunt ſymptomata, ad illorum mitigationem, poſthabita morbi cauſa, remedia dirigenda ſunt. Haec ſymptomata ſaepe indicant remedia cauſam morbi foventia. In hac contraindicatione maximo periculo ſemper occurrendum.

19. Non retardandae, ſed promovendae ſunt criticae evacuationes, praecipue ſi deficiat natura;

ra; neque prudentis medici eſt, aliquid novi moliri circa dies criſi maxime dicatas.

20. Neque cubantis luxuriae ſubſcribere, neque tortoris vicem exhibere medico convenit.

21. Quo brevior morbus, eo victus tenuior; quo longior, eo minus tenuis.

22. In febrium vel dolorum acceſſionibus, a cibo abſtinendum eſt; quia tunc nulla fieri poteſt nutritio, et cibus plerumque corrumpitur.

23. Quo vires ſunt magis conſumptae, eo rebus infirmiſſimis magis opus eſt, et parciori ſed frequentiori alimenti uſu reficiendae ſunt. Quo vires magis conſtant, eo valentiori materiae, et majori copiae indulgendum. Itaque utendum materiae genere pro viribus; moduſque ab omnibus pro genere ſumendus.

LIBER SECUNDUS.

De Morbis Febrilibus.

PARS PRIMA.

De diversis morborum divisionibus.

SECT. I.

De morborum in diversa genera divisione.

1. OMNIBUS quae pertinent ad universa morborum genera absolutis, ad singulorum curationes veniam. Sed operis nostri ordo requirit, ut prius in distinctas et separatas classes redigam morbos, quo facilius generales eorum proprietates et distributio animo concipiantur.

2. Morbi distinguuntur in simplices et compositos. Simplices per se existunt; sed compositi cum aliis morbis conjunguntur, uti febres cum lue venerea, scorbuto, vel vermibus complicatae.

3. In

3. In idiopathicos et ſymptomaticos. Ubi morbus primarius, neque ab alio dependet, idiopathicus: quando ab aliis originem ducit, tunc ſymptomaticus dicitur; uti convulſiones a vermibus vel dentitione; cephalalgia ab affecto ventriculo, &c. Summae utilitatis eſt in praxi haec diſtinctio.

4. In contagioſos et non contagioſos. Contagioſi, quales febres, variolae, morbilli, peſtis, dyſenteria, ſcabies, lepra, lues venerea, ita vocantur, quia materia morbifica ab uno in alterum propagatur: hoc dupliciter fit, vel per contactum, vel per aërem.

5. In continuos et intermittentes. Priores, quales febres continentes, phthiſis, ſcabies, &c. perpetuo affligunt: poſteriores, quales febres intermittentes, epilepſia, arthritis, &c. poſt breviorem vel longiorem temporis intermiſſionem poſtea redeunt. Hic itus reditusque vel regularis vel irregularis; hinc intermittentes rurſum in periodicos et irregulares dividuntur.

6. In benignos et malignos. Priores facillime; poſteriores, uti febres malignae, cancer, ſphacelus, &c. difficillime medelae auſcultant.

7. In hereditarios, qui liberis a parentibus tranſmittuntur; et adventitios, qui ſine ulla labe hereditaria adveniunt. Medelae facilius cedunt poſteriores quam priores.

8. In ſalutares et exitiales. In priore claſſe recenſentur

cenſentur diarrhoea vel vomitus ab acri materia in primis viis, intermittentes vernales, haemorrhoides, profluvium acris muci e naribus, &c. In poſteriore, febres ab animi pathematibus, vermes, venena, nervi laeſi, &c. Aegrotanti convenit ut medicus hos recte diſtinguere valeat.

9. In ſanabiles et inſanabiles. In poſteriore claſſe enumerantur paralyſis antiqua, mania inveterata, aſthma in ſenibus, polypus, hydrops, ſchirrus viſcerum, calculus, &c. Horum notitia in prognoſi facienda admodum neceſſaria eſt.

10. In recidivos et non recidivos. Priores ſunt ophthalmiae, intermittentes febres, hydropes, &c. poſteriores ſunt variolae, morbilli, peſtis, lues venerea, &c.

11. In endemicos, epidemicos, et ſporadicos; et in acutos et chronicos.

SECT. II.

De endemicis, epidemicis, et ſporadicis morbis.

1. ENdemicus appellatur morbus, qui certam regionem, vel certas in eadem regione plagas infeſtat, ſtatis tempeſtatibus plus minus graſſatur, et a cauſis ibi communibus originem ducit.

2. Hae

2. Hae caufae deduci poffunt, 1. A regionibus foli ventifque diverfimodo expofitis. 2. Ab earum vicinitate ad mare, lacus, vel paludes. 3. A nimis alto vel profundo loci fitu. 4. A diverfa natura foli vel lutei, vel paluftris, vel fabulofi. 5. A diverfitate aquarum, quae diverfis particulis mineralibus, falinis, oleofis, vel terreftribus repletae funt. 6. A dieta hifce locis propria.

3. In noftra infula endemicus eft phthifis et taedium vitae; accolis maris Baltici fcorbutus; in Flandria febres intermittentes; hydrocele et farcocele in Gallia Narbonenfi; plica in Polonia; melancholia hypochondriaca in Hifpania; epilepfia in Hetruria; ftrumofus colli tumor in Alpium jugis; perniones in regionibus feptentrionalibus; peftis in Aegypto; paralyfis fpecies, Berberi dicta, in plagis Afiae calidis; tetani fpecies in India; vermes intra cutem progeniti in Guinea; et lues venerea in Peruvia.

4. Morbus qui apparet, graffatur per populum, et poftea ceffat, epidemicus appellatur.

5. Morbus epidemicus ejufdem conftitutionis, iifdem fere fymptomatibus, utcunque varient corpora, ftipatur, et iifdem tollitur remediis; fed plane diverfus, et in fymptomatibus et medela, ab epidemicis diverfae conftitutionis.

6. Epidemici, omnibus anni temporibus, fed plerumque vere et autumno, fefe monftrant.

Hinc

Hinc in vernales et autumnales dividuntur. Vernales, uti variolae, morbilli, pleuritis, &c. adveniunt menſe Januario, ſaeviunt vere, et deſinunt circa ſolſtitium aeſtivum. Autummnales contra, quales quartanae, peſtis, cholera morbus, dyſenteria, &c. tunc incipiunt, autumno maximas edunt ſtrages, et adventante hyeme evaneſcunt.

7. Conſtitutione epidemica ad ſuum vigorem procedente evaneſcunt, plerumque, quotquot tunc conſpiciebantur, alii morbi: recedente, rurſus in lucem prodeunt. Si alius comitetur morbus, genium epidemici aemulatur.

8. Originem ducunt epidemici a cauſa generali omnibuſque communi, id eſt aëre. Quod aëris qualitates ſenſibus manifeſtae epidemicos excitant, ex hoc manifeſtatur, quod certas anni tempeſtates certi in genere comitantur morbi epidemici. Sed ſimiles aëris qualitates manifeſtae non ſemper ſimilibus ſtipantur morbis: hinc inter cauſas morborum epidemicorum frequentiſſimas enumerandae ſunt abditae aëris qualitates, quales particulae putridae vel exhalationes e terrae viſceribus.

9. Quia medela variat in variis epidemicis, ut quod uni accommodetur, alteri plane funeſtum deveniat, tarde et ſumma cum cautela in remediis applicandis procedendum eſt. Qui aliter facit, carnificis, non medici, partibus fungitur.

10. Methodus

10. Methodus medendi in novo et incognito morbo detegitur, 1. Similitudine ad cognitos morbos. 2 Inquiſitione exacta in cauſas producentes et praediſponentes. 3. Sedula attentione ad naturam, ſymptomata, et criſim morbi. 4. Obſervatione juvantium et laedentium.

11. Ad praecavendos epidemicos convenit evitatio nocturni vel matutini aëris, praecipue vacuo ventriculo; vinum vel ſpiritus vini moderate ſumptum; motus continuus in locis affectis; nulla ſalivae deglutitio in hiſce locis; nullum cum aegrotantibus commercium; et domicilium vento perflatum.

12. Morbi ſporadici vel intercurrentes ſunt, qui nullo non tempore contingunt, paucos adoriuntur, et ab epidemicis vel endemicis diſcrepant. Originem trahunt a cauſis ſoli aegro propriis, nempe erroribus dietae, motus vel quietis, ſomni vel vigiliarum, pathematum animi, excretorum vel retentorum.

SECT. III.

De acutis et chronicis morbis.

1. MAjoris momenti eſt diviſio morborum in acutos et chronicos. Morbi acuti vel breves appellantur, quando cito vel tollunt hominem

minem, vel ipſi cito finiuntur: chronici vel longi, ſub quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt.

2. Acuti morbi proveniunt a materia quadam acri corporique inimica, humoribus permixta aut procreata; vel a vaſorum obſtructione, irritationem excitante: unde motus ſpaſtici vel febriles, cito vel ſanitate vel morte terminandi, plerumque excitantur.

3. Sed chronicorum longe alia ratio eſt. Materia enim lenteſcens, et non admodum acris vel copioſa, a ſolidis, praecipue viribus digerentibus, debilitatis plerumque progenita, neque per canales ſecretorios tranſmiſſa, minutiſſima vaſa, ubi langueſcit circulatio humorum et ſenſatio, gradatim infarcit: hinc nulla irritatio, ideoque nulla febris excitatur. Sub finem morbi, quando humores ſtagnantes et vaſa corrumpuntur, ſaepe oritur febrilis motus; ſed fruſtra. Ejectis enim hoc motu particulis corruptis novae denuo ſuccedunt, donec natura, irrito conamine labefactata, tandem fatiſcat. A laxis autem ſolidis pleroſque morbos chronicos provenire, dehinc apparet, quod in ſenibus et tempore hyemali progignuntur, et motu corporis curantur.

4. Morbi acuti, praecipue intermittentes, in chronicos degenerant; et nonnulli chronici uti paralyſes, epilepſiae, et obſtructiones, ſuperveniente febre, ſaepe curantur. Hinc ſimilitudinem

nem nonnulli inter caufas acutorum et chronicorum morborum ftatuerunt; fed falluntur. Chronici enim non caufas fed effectus acutorum pro fuis caufis proximis, agnofcunt; et acutus non oritur a caufa chronici liberata, fed hunc liberat fuis viribus mechanicis, vel chymicis. Magis ad rem videntur nonnullorum chronicorum paroxifmi, quia a caufa ftimulante nati, revera funt naturae conatus ad acutum morbum excitandum.

5. Quia natura raro quidquam perficit in curatione morborum chronicorum ob debilitatem folidorum, infenfibilitatem nervorum, et obftructiones extra circulationem fere pofitas, tota res arti committitur, cujus officium eft humores fluidos reddere, evacuare, et tunc fibras roborare.

6. Longus morbus cum penitus infidet, difficilius in genere curatur, faltem in hifce feptentrionalibus plagis, quam acutus; quamvis in hoc breve fpatium eft intra quod, fi auxilium non profuerit, aeger extinguitur, in illo et deliberationi et mutationi remediorum tempus patet. In acuto quoque fola plerumque fere vitiantur fluida; in longo vitia fluidorum vitia folidorum femper comitantur. Hic fola arte; ille et natura et arte oppugnatur.

7. Haec divifio, uti manca et difficilis, quando morbi in ordinem digerendi, merito culpatur. 1mo, Plurimi enim morbi modo acuti, modo

longi

longi ſunt, quales febres continentes et intermittentes, febris hectica, epilepſia, apoplexia, paralyſis, &c. 2do, Haeret medicus, morbo incipiente, utrum ad acutos vel chronicos referendus ſit. 3tio, Morbo finito, non adhuc ſemper de ordine conſtat; tempore, genera determinante, nondum circumſcripto. 4to, Mala plane repugnantia, quales morbi cum citato et morbi cum tardo pulſu, in eundem ordinem rediguntur. 5to, Nonnulli morbi, quales dolores rheumatici, tuſſis, odontalgia, diſtillatio, dolor colicus, &c. neque acuti dici poſſunt, quia non perimunt; neque utique longi, quia vel cito finiuntur, vel facile ſanantur.

8. Ob has cauſas merito mihi diſplicet et rejicitur haec antiqua morborum diviſio, quamvis Hippocratis ante aevum ortum habuit, a Caelio Aureliano et Araeteo praecipue exculta, et a pleriſque practicis ad hoc uſque tempus in auxilium vocata fuit.

SECT. IV.

De morbis febrilibus et non febrilibus.

1. SED naturae et uſui magis accommodatum eſt, morbos in febriles et non febriles deducere. Febriles appellantur, ubi febris comes morborum

morborum continuus eſt; non febriles, ubi febris dividua eſt, et plerumque abeſt.

2. Haec morborum diviſio priorem longe praeſtat; quia, 1mo, Perpauci morbi per totum curſum modo febriles, modo non febriles; quamvis nonnulli ſunt, qualis rheumatiſmus, tuſſis, maraſmus, &c. Sed haec eſt perpetua ſummi Opificis in ſuis operibus ratio, qui diſſita genera ſpeciebus intermediis conjungit, ut nihil appareat avulſum, ſed omnia omnibus cohaereant. 2do, Nunquam incertus, morbo incipiente, fieri poteſt medicus, utrum morbus ad genus febrile, vel non febrile relegandus ſit. 3tio, Limites inter febriles et non febriles pulſu exacte notantur. 4to, Nulla ineſt repugnantia inter morbos febriles; nulla inter morbos non febriles: ſed, e contrario, in multis conveniunt. 5to, Nullus fieri poteſt morbus, qui non vel inter febriles vel inter non febriles enumerandus eſt.

3. Ob has rationes itaque ſervanda eſt haec generalis diviſio in morbos febriles et non febriles; quia commoda antecedentis diviſionis omnia poſſidet, et praeterea ſua propria adjungit: ſecum enim adfert ſummam in prognoſi et medela utilitatem.

4. Incipiam a morbis febrilibus, 1. Quia idea morbi febrilis, id eſt motus fluidorum aucti, ſimplicior eſt idea morbi non febrilis, id eſt vitiatorum ſolidorum et fluidorum. 2. Quia natura

ſaepiſſime, ſine auxilio medici, uti apparet in ruſticis, illi medetur. 3. Quia plerumque facilius eſt moderari, quam de novo excitare, motum.

SECT. V.

De febre in genere.

1. QUia febris comitatur omnes acutos et pleroſque chronicos morbos circa finem, ita ut nemo fere ſine febre fato fungatur, quumque tam abdita ſit ejus natura, et tam diverſae de illa opiniones, licet paucis de febribus in genere diſſerere.

2. Ad veritatem in tam difficili, confuſa, et diverſis opinionibus adumbrata quaeſtione, placet more mathematico procedere, qui a qualitatibus corporum ſemper et ubique concomitantibus, cognitis, et conceſſis, ad horum naturam incognitam detegendam procedit.

3. Conſideranti varia et innumera febrium ſymptomata patebit, in unaquaque febre ſemper et ubique adeſſe frequentem pulſum et calorem auctum, cum laeſione unius vel plurium functionum naturalium, animalium vel vitalium. Nulla praeter haec ſymptomata omnium febrium genera comitantur; ideoque his apte definitur febris.

4. Frequentia

4. Frequentia pulſus primo a Sylvio inter ſymptomata febrium pathognomonica numerabatur. Sed caloris majus minuſve augmentum aeque inter haec locum meretur, quia in omni febre et in unoquóque febris ſtadio, immo in rigoribus, detegitur. Laeſio functionum merito inter notas febrium pathognomonicas collocatur, quia ſemper adeſt nonnulla, et febrem ab accelerato per motum vinumve ſanguinis curſu diſtinguit: ſed haec laeſio nullis certis inſignitur ſymptomatibus: ergo a prioribus ſolis deducenda eſt febrium natura.

5. Celeritas et frequentia pulſus a citatiore ſanguinis motu oritur. Citatior ſanguinis motus a frequentioribus cordis contractionibus. Cordis contractio frequentior a celeriore liquidi nervoſi in febres contractiles influxu. Celerior liquidi nervoſi motus a mente ita ex neceſſitate determinante, a ſenſatione cujuſdam ſtimuli in toto ſanguine, cor, et vaſa, vel in parte aliqua nervos, et hinc cor per conſenſum, afficientis.

6. Cauſae irritantes febrificae vel naſcuntur in corpore, vel intus ingeruntur, vel externe applicantur. Intus naſcuntur ex animi pathematibus violentis, terrore imprimis et ira, nimio motu, calore externo, balneis nimis calidis, perſpiratione intercepta, pure, exanthematibus retropulſis, biliofis et corruptis ſordibus in primis viis. Intus ingeruntur venena, cibi vel potus

acres, miaſmata, contagium. Externe applicantur compreſſiones, corrodentia et cauſtica medicamenta, inſtrumenta vulnerantia, lacerantia vel pungentia, quae nervos et nervoſas partes laedunt.

7. Quod cauſae hae febrificae operantur irritando et ſpaſmodicas contractiones excitando, quam clariſſime patet a primis febrium ſymptomatibus, nempe conſtricta et ſicca cute, vaſis diſparentibus, horripilatione, alvi adſtrictione, urina limpida, flatuum retentione, lumborum dolore, vomitu, pulſu duro et parvo.

8. Hae cauſae febrium proximae neque indolis habendae ſunt acidae ſecundum Etmullerum, neque alkalinae ſecundum Baglivium; quia non adhuc certis experimentis patet quod acida vel alkalina humoribus noſtris vel ſanis vel morboſis inſunt. Attamen de nonnullarum cauſarum natura conſtat: de quamplurimis adhuc ambigitur, et ſemper fortaſſe de illis lites agentur; quia ad intimam earum naturam et eſſentiam non penetrare queat imbecillus hominis intellectus.

9. Hiſce cauſis, naturae humanae inimicis, ex phyſica quadam neceſſitate inſurgit febris, quae, aucto motu progreſſivo et inteſtino adjuta, particulas cohaerentes dirimit, viſcidas attenuat, ſuperfluas evacuat, obſtructiones aperit, emunctoria deobſtruit, intemperatos humores temperat et corrigit, et poſtremo e corpore expellit; uti

uti patet criſibus omnium febrium, ſed earum praecipue, ubi materia cauſtica ab interioribus partibus ad exteriores relegatur.

10. Sed non motu ſolo operatur febris. Calorem ſemper ſibi aſſociat: ergo de hujus origine et effectu paucis inquirendum, praeſertim, quando de illis non adhuc conſtat.

11. Calor duplicem in febribus originem agnoſcit. Oritur enim, 1mo, Ab attritu fluidorum contra vaſa, praeſertim minima, et contra ipſa fluida. 2do, Continua humorum in putredinem proclivitate.

12. Calor ab attritu provenit, 1. Quia attritus corporum elaſticorum calorem gignit. 2. Quo major velocitas, eo, caeteris paribus, major calor. 3. Quo minor velocitas, eo minor calor, donec motu omni ceſſante, corpus ad aëris circumambientis ſtatum reducitur. 4. Omnia ſtimulantia, quamquam in ſe non calida, calorem augent.

13. Calor aliam praeter attritum agnoſcit cauſam, quia neque in homine morboſo, neque ſano, calor exacte quadrat augmento vel diminutioni motus, uti patet experimentis thermometro factis. Aſſumenda eſt itaque alia, nempe proclivitas humorum in putredinem, praeſertim in febribus putridis; quia, 1. Putredinem ſemper ſequitur calor. 2. Quo magis putridus morbus, eo major calor. 3. Calor per dies ali-

quot poſt mortem durat. 4. Putreſcentibus in hydrope humoribus calor ſupervenit. Neque putredo ſola ſufficit ad calorem explicandum, quia calor ſemper excitatur vino et ſpiritibus fermentatione productis, inter remedia ſumme antiſeptica enumerandis.

14. Hinc attritus et niſus in putredinem caloris animalis cauſae deveniunt. Major attritus oritur a majore velocitate vel denſitate fluidorum: major putrefactio a peculiari fluidorum ſtatu, vel ab ipſa febris cauſa, non a motu ſanguinis accelerato; motus enim impedit putrefactionem. Quo gradu unus vel alter, vel uterque increſcit vel decreſcit, eodem gradu augetur vel diminuitur calor.

15. Calor auctus cauſas febriles feliciſſime expugnat, glutinoſos et viſcoſos humores diſſolvendo, cohaerentes particulas colliquando, ſuperfluas imminuendo, fibras rigidas relaxando et flexiles reddendo, emunctoria obſtructa expediendo, ſales et olea circulationi inepta per poros ejiciendo, et ſanguinem impactoſque humores diſcutiendo, vel in pus convertendo.

16. Ergo febris, id eſt pulſus citatior et calor auctior, reſpectu ad cauſam morbificam habito, ſemper ſalutaris eſt; effectus enim cauſae morbificae ad ipſam tollendam apprime concinnatur. Hinc febris apte a clariſſimo Sydenhamo definitur, " Naturae conamen materiae morbificae,

" corpori

" corpori valde inimicae, exterminationem in " aegri ſalutem omni ope molientis."

17. Febris ergo, quae ſemper ad cauſas morbificas quadrat, non, ſi fieri poteſt, extinguenda, ſed potius ad harum expulſionem alenda.

18. Sed febris, cum nimis forti vel debili pulſu juncta, a ſuo ſcopo aberrat, et corpus, quod a periculo vindicare conatur, peſſum dat. Si motui accelerato aſſociatur pulſus validus et fortis, attritus fit magnus, calor augetur, expanduntur fluida, vaſa comprimuntur, ſecretiones impediuntur, humores in minimis vaſis ſtagnant, et in concretiones viſcoſas inflammatorias abeunt: hinc inflammationes, abſceſſus, gangraena, mors. Si motui accelerato jungitur debilitas pulſus, momentum fluidorum non valet cauſas morbificas ſubigere, et aeger cito extinguitur.

19. Effectus caloris nimis aucti eſt expulſio aquoſae partis humorum; ſolidorum ſiccatio; ſalium attenuatio et acrimonia; oleorum liquefactio, in venas abſorptio, attenuatio, et ad acrimoniam rancidam proclivitas: hinc fibrae rigidae, minimorum vaſorum adunatio, ſudor, urina colorata et foetida, irritatio et exeſio tenerrimorum vaſorum, dolores, convulſiones, mors. Calorem ad gradum centeſimum ſeptimum thermometri Farenheitiani aſſurgere, ſine ullo periculo, ſaepe mihi contigit videre.

20. Effectus caloris nimis remiſſi, quod rariſ-

ſime in febribus accidit, ſunt obſtructiones in partibus a corde remotiſſimis, horrores et rigores, obſtructiones perſpirabilis materiae, determinatio humorum ab exterioribus ad interiora, impotentia ad cauſam morbificam diſſolvendam vel ſuppurationem promovendam.

21. Ad hos exceſſus vel defectus febrium corrigendos in auxilium vocatur, et in his plerumque verſatur ars. Raro cauſarum febrificarum naturas perſpectas habet: ſed rarius penes illam eſt has tollere, vel immediate eliminare. Nonnunquam tamen cauſas morbificas, uti laeſiones externas, venena, ſordes bilioſas, pus, vermes, &c. tollere; nonnunquam in ſuperficiem corporis externam ejicire, uti eruptiones retropulſas, valet. Haec certiſſima et expeditiſſima febris medela.

22. Sed quando ſolis viribus aucti motus et caloris, quod plerumque accidit, eradicanda eſt cauſa febrifica; officium medici eſt has temperare, ne nimis ſuperent, vel nimis torpeant. Mediam viam ab utroque extremo aeque diſtantem ſola experientia, non ratio, docebit.

23. Si in debito moderamine jamjam ſint motus et calor, nihil medico reſtat, niſi vires ſuſtinere, et difflatas tenues particulas reſtituere cibo et potu idoneo, et in debita quantitate adminiſtrato.

24. Febricitantibus optime convenit cibus humidus

midus et ſorbilis, ex aceſcentibus vegetabilibus praeparatus, et qui ſua natura leviſſimus eſt. Satius eſt parva quantitate et debitis intervallis cibum aegrotanti praebere, ne ſupervacua materia oneretur.

25. Magnae inter antiquos movebantur lites, quando primum dari debeat. Plerique tarde dabant, nempe quarto, quinto, vel ſexto die. In rebus multum inter ſe differentibus, ob diverſitatem morbi, aetatis, coeli, temporis anni, conſuetudinis, nullum perpetuum temporis eſſe praeceptum poteſt. Maturius eſt dandus pueris et ſenibus, quam adoleſcentibus; aeſtate quam hyeme; morbo qui plus virium aufert; laute viventi, quam temperato; itemque coelo digeſtioni magis faventi. Monitum Celſi ſemper et ubique ſervandum eſt, ut aegri vires ſubinde aſſidens medicus inſpiciat, et quamdiu ſupererunt, abſtinentia pugnet; ſi imbecillitatem vereri coeperit, cibo ſubveniat.

26. Febrem ſemper fere comitatur ſitis, index deficientiae aquoſae laticis, vel acrimoniae in ſanguine. Merito ergo culpandi ſunt omnes fere antiqui medici, qui, a falſa opinione, quod omnibus febricitantibus nimius humor alienus erat, potiones primis diebus non dabant, et ita officio tortorum, non medicorum, fungebantur. Sitim optime pellit potus aquoſus tepidus, ſucco

vegetabilis

vegetabilis aceſcentis impregnatus, et debitis intervallis hauſtus, ne gravetur ſtomachus.

27. Si nimis excedunt aut deficiunt pulſus vel calor, moderandi ſunt. Pulſus nimis validus et plenus depletur abſtinentia, ſanguinis ex venis detractione, et alvi lotionibus ductione, quoad vires ſuſtinere poſſunt.

28. Si pulſus nimis debilis, excitandus eſt dieta magis nutriente et refocillante ex juſculis tenuiſſimis, vino et medicamentis cardiacis, evitatis omnibus evacuationibus.

29. Calor nimis auctus mitigatur, 1. Quiete animi corporiſque. 2. Aëris externi temperie ad frigiditatem vergente. 3. Paucis veſtimentis. 4. Aquae diluentis frigidiuſculae potu. 5. Medicamentis antiſepticis qui motum humorum ſuo ſtimulo non augent, qualia acida vegetabilia et mineralia, vel ſal nitri.

30. Calor nimis debilis reſuſcitatur, 1. Motu vel frictionibus. 2. Aëre igne calefacto. 3. Lecti tepore. 4. Calidis corporibus externe applicatis. 5. Omnibus quae pulſum debilem excitant.

31. Animi quoque habitui invigilandum eſt, ne a viribus pathematum quid detrimenti capiat corpus. Itaque ſi qua ſunt, quae exaſperatura febricitantium animos ſunt, optimum eſt, ea, dum aegrotant, eorum notitiae ſubſtrahere.

SECT.

SECT. VI.

De febrium generibus.

1. HAEC de natura et medela febrium in genere ſufficiunt ad intelligendam naturam et medelam febrium particularium. Hae optime diſtinguuntur, 1. In febres quae in toto ſanguine conſiſtunt. 2. In febres inflammatorias ſymptomaticas quae oriuntur in partibus. 3. In febres ſecretione critica ſtipatas, ubi cauſa prius in toto ſanguine inhaerens poſtea ad exteriora eliminatur, et nunc illis nunc his ſimiles.

2. Febres acutae in toto ſanguine conſiſtentes diſtinguuntur in continentes, quae continuo et aequaliter corpus affligunt; in remittentes vel intermittentes, quae remiſſiones vel intermiſſiones febris habent; et in hecticas.

3. Febres acutae continentes diſtinguuntur aliquando ab antiquis, a tempore durationis, in ephemeram vel febrem unius diei, et ſynochum ſimplicem, qui non ultra quartum vel quintum diem durat: ſed ſaepius ab aliquo particulari ſymptomate, uti typhodes, vel ſudorifica; aſſodes, ſive anxioſa; lyngodes, ſive ſingultuoſa; phricodes, ſive horrifica; bilioſa.

4. Sed

4. Sed febres continentes, perſpecta tota ſymptomatum complicatione et medela, melius diſtinguuntur in tres ſpecies, inflammatorias, ſcilicet, nervoſas vel lentas, et putridas. Hae febrium ſpecies, admodum diſſimiles, omnes comprehendunt. De his ergo ordine.

PARS SECUNDA.

De febribus quae in totis corporibus conſiſtere videntur.

SECT. I.

Febris inflammatoria.

1. FEBRIS continua inflammatoria a ſtatu humorum inflammato nomen ſortitur, et inter ſpecies diverſas febrium ardentium ab Hippocrate deſcribitur. Synochus a Galeno appellatur.

2. Corripit haec febris frequentius adoleſcentes in vigore aetatis, ruſticos, ſanguineos, laute viventes, athleticos, omneſque fibris ſtrictis et elaſticis, humoribuſque denſis et elaſticis, donatos. Omnibus graſſatur anni temporibus, ſed praecipue

praecipue veris et aeſtatis initio, quia humores praecedente frigore magis compacti ſunt.

3. Cauſae remotae ſunt aeſtus ſolis; perſpiratio frigore ſubito cohibita; fatigatio; ira; vini vel liquoris fermentati magna ingurgitatio; vigiliae nimis protractae; frigida aqua, corpore calefacto hauſta; balnea nimis calida.

4. An cauſa proxima ſit acris et denſus ſanguis, vaſa minima ſeroſa et ſanguinea, in diversis locis, obſtruens? Hanc opinionem confirmant cauſae remotae, ſanguis detractus, ſymptomata, medela, et ſectio cadaverum.

3. Seſe monſtrat primo laſſitudine; ſenſatione corporis quaſi contuſi; debilitate; frigore et calore alternatim ſuccedentibus; tremoribus; doloribus per totum corpus, ſed praecipue in humeris, dorſo, genibus, et capite. Tunc ſupervenit calor intenſus et urens; ſitis potionibus non extinguenda; oculorum inflammatio; faciei rubedo et tumefactio; nauſea; vomitus; inquietudo; anxietas; pulſus magnus et validus; cutis arida; urina rubra, ſed nonnunquam aquoſa; lingua aſpera, arida, fuſca vel nigra, et cruſta obducta; ſanguis detractus fortiter concreſcens, et cruſta glutinoſa tenaci tectus; reſpiratio difficilis; alvus conſtipata; tuſſis; vigiliae; delirium; ſtupor; coma; tremores et tendinum ſubſultus; ſingultus; foecum et urinae involuntaria omiſſio; mors.

6. Aperto

6. Aperto cadavere, viſcera inflammata et gangraenoſa inveniuntur.

7. Laſſitudo et debilitas a plethora et viſcido ſanguine liquidi nervoſi ſecretionem impediente.

Frigus eſt certa perceptio in animo; ergo caloris abſentiam non denotat. Experimentis thermometro factis ab aliis et me certiſſimum eſt, majorem in frigore febrili jam inchoata adeſſe calorem, quam in eodem corpore ſano. Senſatio frigoris oritur ab humoribus in vaſis ſubcutaneis ſtagnantibus; quia, 1. Omnia quae vaſa ſubcutanea contrahunt, uti frigus externum, cibus quem abhorret noſtra natura, vel ejus idea, omniaque quae vim cordis debilitant, hanc excitant ſenſationem. 2. Ungues liveſcunt, certum ſanguinis ibi ſtagnantis ſignum. Stagnant humores ob nimiam viſciditatem, et ſtimulum vaſa contrahentem.

Tremores et rigores, ab humorum in vaſis ſubcutaneis ſtagnantium irritatione, inaequalem et involuntarium motum liquidi nervoſi in muſculos efficienti, originem trahunt. Hinc ſalutares, neque auxilio egent, quia viſcidam materiam debellant, et circulationem iterum renovant.

In partibus membranaceis et ligamentoſis viſcidi humores facillime ſtagnant; hinc humerorum, genuum, et dorſi dolores.

Anxietas a corde nimio ſanguine repleto ob remoram

emoram in minimis vaſis; vel a ventriculo, irritante materia oppreſſo, oritur.

Sitis a deficiente aquoſa latice in ſanguine ad acrimoniam temperandam, viſciditatem diluendam, et rigiditatem fibrarum relaxandam, producitur. Hinc ad febris medelam a natura inſtituitur.

Vehemens attritus, a magna vaſorum elaſticitate, et humorum copia denſitateque proveniens, calori urenti originem praebet.

Nauſea et vomitus excitatur a materia acri, viſcida, acida, vel bilioſa ventriculum irritante, vel vaſis nimio ſanguine repletis et obſtructis.

Pulſus fortis et magnus a robore vaſorum et ſecretione liquidi nervoſi aucta ob viſcidos humores horroribus, pulſu celeri et calore magis reſolutos.

Urina rubeſcit a majore olei cum ſalibus uniti copia. Si inſtar aquae mingitur, ſpaſmum vaſorum renalium, vel ſanguinis oleoſitatem aquam ingeſtam reſpuentem, oſtendit.

Superior linguae pars areſcit, et cruſta nigra obducitur, ab ariditate mucoſarum glandularum et muci inſpiſſatione; ſed inferior pars ſalivae perpetua ſecretione emollitur.

Cruſtam albam in ſuperiore ſanguinis parte a volatili aliqua et ſeptica materia, particulas ſeroſas elevante et conjungente, provenire, experimentis

mentis ſatis probatum eſt. An a materia perſpirabili retenta? Ita videtur.

Reſpiratio difficilis, a difficili ſanguinis tranſitu per pulmones.

Alvus contrahitur ab inteſtinorum ariditate et paucis alimentis.

Vigilae et delirium ab inflammatis et tenſis cerebri meningumque vaſis proveniunt. Si major in nervorum origines adſit compreſſio, tunc degenerant in ſtuporem et coma. Cerebrum inflammatione irritatum, vel nervi humoribus nunc acrioribus redditis ſtimulati, liquidum nervoſum in muſculos, majore copia et ſine aegri voluntate, emittunt; hinc tremores et ſubſultus tendinum. Singultus eſt convulſio diaphragmatis, oeſophagum et ventriculum ſurſum trahentis.

8. Solvitur hic morbus haemorrhagia, ſudoribus, alvi ſolutione, urina album et aequale ſedimentum deponente, plerumque circa criticos dies.

9. A febre nervoſa diſtinguitur pulſu valido et forti, lingua arida et nigra, ſiti et calore magno, doloribus magis intenſis, et praegreſſa aegri vita. A febre putrida et maligna pulſu forti et valido, rigoribus, ſanguine denſo cruſtaque tenaci cooperto, et precedente victu.

10. Prognoſis non tam infauſta et infida in hac febre quam in nervoſa vel putrida, ob pulſus validitatem. Quo ſeveriores rigores, eo intenſior

febris.

febris. Quo minus rubent oculi vel facies, quo acies oculorum minus obtusa est, quo mitiora sint symptomata circa ventriculum et intestina, eo minus periculi est. Sitis soluta, manente linguae ariditate; urina rubra in pallidum colorem mutata; vox clangosa; vigiliae protractae; delirium diu durans; floccorum collectio; pudoris neglectus; coma; frigus exteriorum quando interiora uruntur; sudor circa pectus vel frontem, mala signa sunt. Maximum periculum ostendunt magna spirandi difficultas, subsultus tendinum, singultus, urinae et foecum involuntaria et inscia excretio. Ad extrema ventum esse testantur oculi pulverulenti et squalidi, purpura alba, et alvus corruptas foeces, junctis torminibus, profundens.

11. Indicatio curatoria, experientiae et rationi consentanea, est, sanguinis turgescentis vim refraenare, et ejus spissitudinem diluere. Perficitur, 1. Venaesectione toties repetita donec pulsus ad debitam vim redigatur. Caveat medicus ne pulsu nimia repletione oppresso decipiatur; talis enim venaesectione fortior fit. 2. Potionibus tepidis aquosis in magna copia haustis, vel per anum et cutem introductis, ad viscidum sanguinem diluendum, et nimis tensas fibras relaxandas. 3. Acidis vegetabilibus et nitro potionibus admixtis, ad calorem refraenandum. 4. Emplastris epispasticis, post debitam evacuationem,

applicatis, quae viſcidum ſanguinem diſſolvunt, obſtructiones internas aperiunt, et pulſus duritiem tollunt. 5. Abſtinentia, quamdiu vires ſupererunt; et cibo leviſſimo ſorbili, ſi deficiant. 6. Aëre quam maximi conclavis renovato, et frigidiuſculo, praecipue in calidis tempeſtatibus et regionibus, et admodum levibus veſtimentis, evitatis omnibus calefacientibus et pulſum concitantibus.

12. Nimis mihi videtur incerta, et prudenti medico evitanda, medela ab antiquis uſitata, qui, quarto die vel ſubſequentibus criticis diebus, magna ſiti antecedente, aqua frigida ad ſatietatem data, per quam ingens effundebatur ſudor, pro medicamento uſi ſunt. Aegrum certius peſſundabit, ſi ulla adſit viſcerum inflammatio.

13. Quaedam ſymptomata mitigationem poſtulant. Anxietas, ſi a corde ſanguine oppreſſo oritur, venaeſectione et diluentibus; ſi a ventriculo oppreſſo, vomitu tollatur. Nauſea et vomitus curantur leviſſimis vomitoriis et hauſtu ſalino. Si adſit ventriculi vel viſcerum inflammatio, emetica cane pejus et angue vitanda ſunt.

Premente capitis dolore, delirio, vigiliis vel comate, inſigniter juvant hirudines, vel epiſpaſtica temporibus applicata, epiſpaſtica magna, vel pulmonis portiones aliquae ex agno recens interfecto calentes capiti raſo impoſitae, et enemata laxantia,

laxantia, evitatis opiatis. Haec ſymptomata plerumque ſolo tempore, et febre intra debitas limites conſtituta, vincuntur.

Ad ſingultum et ſubſultus tendinum confert moſchus et ante dicta medicamenta, quae cerebri inflammationem mitigant.

SECT. II.

Febris lenta vel nervoſa.

1. LEnta vel nervoſa febris ita nuncupatur a lento ejus progreſſu, vel a nervoſo ſyſtemate praecipue affecto. Morbum pituitoſum vel cardiacum appellant antiqui ſcriptores.

2. Cauſae remotae ſunt laxae fibrae, debileque ſyſtema nervoſum; nimiae evacuationes; repetitae mercuriales ſalivationes; venus immodica; animus triſtitia depreſſus; vigiliae ſtudiaque nocturna; aër carcerum ſubterraneorum humidus et ſtagnans; dieta cruda et nimis tenuis, praecipue ex fructibus vel vegetabilibus aquoſis et frigidis; potiones aquoſae et viſcidae; tempeſtates pluvioſae; et humida molliſque hyems.

3. Hujus cauſa proxima videtur eſſe lentor vel viſciditas ſeri, lymphae et tenuium humorum, cum acrimonia a contagio vel obſtructione orta. Patet a cauſis proximis, ſanguine detracto, pituita

e ventriculo rejecta, et congruentia cum morbis a ferosa colluvie ortis.

4. Hinc saevit praecipue in ultima corporis vascula, nempe ferosa, lymphatica et nervosa; quin potius in ipsum cerebrum cerebellumque, uti docet color subluridus, pallor et exsiccatio ulcerum, omnium sensuum depravatio, summa debilitas, totius morbi contemplatio, et suppurationes in cerebro cerebelloque inspectione cadaverum detectae.

5. Obrepit morbus dejectione animi; appetitu prostrato; oppressione; insomnio; suspiriis reiteratis; gemitu involuntario; terrore animi; inusitata lassitudine post motum; et frigoris calorisque alterna successione. Elapsis diebus aliquot, accedunt vertigo vel dolor capitis; nausea et vomitus pituitae insipidae; summa virium prostratio; calor haud insignis; sitis nulla; pulsus frequens, debilis et quandoque intermittens; lingua humectata, alba, et muco viscido obducta; praecordiorum oppressio et respiratio difficilis; urina pallida, aquosa, et aliquando instar seri lactis; insomnium somno simillimum; faciei rubedo et calor dum pedes algent; mens leviter perturbata vanis imaginibus, illisque addicta, sed sine furore; sudor immodicus vel diarrhoea colliquativa; sensuum externorum et internorum hebetudo et tarditas; anxietates et animi deliquia. Jam fatiscit natura diuturnitate morbi; tremit lingua;

lingua; extremitates frigent; ungues livent; perditur omnino visus et auditus; delirium in coma vertitur; inscie elabuntur foeces et urina; adest tendinum subsultus; moritur aeger.

6. In sanitatem gradatim terminatur, opitulante salivatione, leni sudore, diarrhoea et urina turbida, sed plerumque sine ulla evidenti crisi.

7. Vasa minima et nervosum systema lentescente sero obstruitur; hinc debilitas, terrores, dolor capitis, delirium, pulsus debilis et citatus, hebetudo, et deliquia, &c. A sanguine, seroso latice scatente, calor moderatus, nulla sitis, urina pallida, pituitae secretiones, sudor, diarrhoea, &c. obstruentes humores corrumpuntur, caeterosque inquinant; hinc dira morbi jam ad mortem tendentis facies.

8. Febris inflammatoria validissimos praecipue adoritur, motum arteriarum validum, calorem urentem, urinam rubram et densum sanguinem habet, citoque sua stadia decurrit: at in febre nervosa omnia hisce contraria accidunt. Antecedens calor aëris vel dieta calefaciens, dissolutio sanguinis, urina ruberrima, sitis magna, petechiaeque et diversitas medelae, febrem putridam malignam a febre descripta distinguit, quamvis in multis consentiunt.

9. Prognosis fausta si leve delirium; si vires non admodum fractae; si pulsus administratis cardiacis plenior fiat; si circa finem morbi lenis

ſudor vel diarrhoea, ſed praecipue ſalivatio ſine aphthis; ſi tumores circa aurem appareant; ſi eruptio miliaris, non praecedente profuſo ſudore, adſit. Ab aliis inter bona ſigna, a me, experientia ita teſtante, inter mala habetur ſurditas. Infauſtam efficiunt prognoſim perdurans ultra quartum diem forte delirium; magnae evacuationes; ſudor ſupra conſuetudinem et modo et tempore ex thorace, cervice et capite, pedibus tantummodo cruribuſque ſiccioribus et frigidis; ſubſultus tendinum; tremores manuum vel linguae; vigiliae; diarrhoea colliquans cum pulſu debili; caecitas; et deglutitio impedita, praecipue cum ſingultu. Si frigeſcant manus, fauces liveſcant, ſanguis e vaſis effluat, vel petechiae appareant, vix ulla medicina periculo ſubtrahit.

10. In hujus morbi medela, 1. Phlebotomia ſemper nocet, niſi ubi adſit ſtatus ſanguinis inflammatorius, quod in quibuſdam epidemicis conſtitutionibus accidit. 2. Primae viae purgandae leni vomitorio, rheo, et clyſmatibus in aſtrictione alvi tertio quoque die repetitis. 3. Epiſpaſtica, per totum morbi decurſum ſe invicem excipientia, lentorem diſſolvunt et evacuant. 4. Diaphoreſis lenis cardiacis attenuantibus promovenda, dummodo ſudor non eliciatur; nam ſudor continuus febrem exaſperat. 5. Vires, vino, aqua pulli, et dieta refocillante, ſuſtentandae.

11. Si

11. Si remiſſio appareat, vel ſudores aegrum exhauriant, cort. Peruv. feliciſſimos habet effectus: per quem, ſi conſequi potuimus, ut et ſudoris impetus minuatur et vita prorogetur, incipit jam tempus ipſum eſſe praeſidio. 2. Diarrhoea colliquativa rheo et opiatis moderanda. 3. Reſpiratio difficilis et anxietas epiſpaſticis cedunt.

12. Quare hiſce temporibus, magis quam praeteritis, ſaevit febris nervoſa?

SECT. III.

Febris maligna, putrida, vel petechialis.

1. FEbris maligna, putrida, vel petechialis ita dicitur a maligna ejus natura, putreſcentibus humoribus, maculiſque lividis. Petechiae ab antiquis medicis adumbratae, ſed ab hodiernis melius deſcribuntur.

2. Qui laxo habitu, ſanguine phlegmatico ſanguineo, animoque moeſto praediti ſunt; qui pravorum alimentorum ingluvie, venere, fame, laboribus, vigiliis debilitati, facillime hoc morbo corripiuntur, et difficillime emergunt.

3. Cauſae remotae ſunt nimia carnium vel piſcium ingurgitatio ſine pane; dieta nautica ex ſalitis et ſemiputrefactis carnibus, aquiſque putreſcentibus; nimius ſalis alkalini, fixi, vel volatilis

et aloës usus; fruges pluviis vel horreis humidis corruptae; tempestates humidae austrinae, comitante vel potius antecedente magno calore; effluvia ab aquarum inundationibus putrescentibus, vel paludibus prope exsiccatis, vel animalibus aut vegetabilibus putrefactis; aër nosocomiorum, navium, carcerum, vel ergastulorum stagnans, et sordibus inquinatus; contagium.

4. Causa proxima est putrida humorum praecipue rubrarum particularum dissolutio; uti docet effectus putridorum fermentorum, anima foetida, sanguis dissolutus et cito putrescens, urina ruberrima nigrumque sedimentum deponens, sudores olidi et sanguine tincti, petechiae, cita cadaveris putrefactio, et similitudo cum febribus ab ichore gangraenoso absorpto productis.

5. Adsunt calor intensus, mordax et remittens; pulsus tensus, parvus, frequens et inaequalis; pulsatio arteriarum carotidarum et temporum; summa virium prostratio et imbecillitas; animus anxius, dejectus, et pessima quaevis ominans; nausea, vomitusque bilis nigrae; dolor capitis et temporum; oculi inflammati et dolentes circa fundum; color infumatus; tinnitus aurium; respiratio laboriosa, interrupta cum suspiriis, et anima foetida; dolores in ventriculo, artubus et dorso; decubitus difficilis; tremor; delirium; lingua primo alba, dein nigra aridaque; labia et dentes tenaci sorde oblinita; sanguis lividus,

dus, diſſolutus, vix cohaerens, citoque putreſcens; ſitis inexplebilis, cum oris amaritudine; urina primo pallida, ſed in morbi incremento ruberrima, immo aliquando nigreſcens cum ſedimento inſtar fuliginis; ſudores foetidi et ſanguine ſaepe tincti; dejectiones grave olentes, lividae, nigrae, vel ſanguineae; maculae lividae parvae, inſtar morſus pulicum, petechiae, vel ſi latiores, vibices dictae; haemorrhagiae, aphthae, ulceratio faucium, et ſingultus.

6. Inſpectiones cadaverum, cerebrum et viſcera, praecipue ventriculum et inteſtina, inflammata et ſaepe ſphacelata detexerunt.

7. Miaſma deliterium per nares admiſſum cerebrum nervoſque primo afficit, hinc ſymptomatum nervoſorum origo; in ventriculum cum ſaliva delatum, vomitum, anxietatem praecordiorum, &c.; in venas aſſumptum, ſanguinis putreſcentiam et diſſolutionem producit; hinc delirium, calor intenſus, ſitis inexhauſta, dejectiones alvi, urinae, ut et ſudores ſanguinei et foetidi, petechiae, ſphaceluſque.

8. Diſtinguitur a febre inflammatoria, pulſu parvo, dejectione animi, diſſolutione ſanguinis, petechiis et putredine excrementorum; a febre nervoſa, calore, urina ruberrima, ſiti, petechiis et putredine; a peſte, lenitate potius ſymptomatum, quam ſecundum genera differentia.

9. Prognoſis ſemper incerta; ſed minus periculi ſi ſymptomata lenia ſint, diarrhoea vel ſudor

foetidus

foetidus in morbi declinatione oboriatur, vel petechiae colorem nigrescentem splendidiore mutent. Signa funesta sunt numerosa macularum nigrescentium progenies, earum subita evanescentia, aphthae nigrae, sitis nulla, fauces inflammatae, laboriosa post eruptionem respiratio, abdominis tumescentia cum alvo soluta, dejectiones foetidissimae et ichorosae, frigus extremitatum et convulsiones.

10. Si signa adsint plethorae vel inflammationis, 1. Venaesectio semel celebranda; iterum repetita plerumque nocebit. 2. Primae viae a sordibus purgandae vomitu, leni alvi subductione, et clysmatibus in adstricta alvo tertio quoque die repetitis. 3. Diaphoresis promovenda lenissimis et praecipue subacidis diaphoreticis. 4. Putrescentia humorum resistenda vel corrigenda antisepticis, quorum praecipue celebrantur acida vegetabilia, fermentata vel mineralia, camphora et cortex Peruvianus. 5. Vis vitae sustinenda dieta acescente et vino austero rubro aut Rhenano, situque supino. 6. Aër inquinatus corrigendus.

11. Si pulsus deficiat, delirium oriatur, vel petechiae retrocedant, tunc, et non antea, usurpanda sunt epispastica.

12. Sani infectionem praecavent vitando aërem inquinatum, vel corrigendo focis, ventilatione et antisepticis; salivam ope masticati gummi

ni myrrhae in locis infectis expuendo; vitando moeſtitiam, curam, cruditatem, fatigationem, calorem et libidinem; ad hilaritatem bibendo.

13. Quare nuperis annis tam raro ſeſe monſtraverunt febres putridae malignae? Annon diverſa ſint putrida miaſmata?

SECT. IV.

De harum febrium complicationibus.

1. MIre ſaepe inter ſeſe complicantur hae tres diverſae febrium ſpecies, uti inflammatoria cum maligna, maligna cum nervoſa, et nervoſa cum inflammatoria. Tales febres ſaepe mihi contigit vidiſſe.

2. Hae ſana mente et ſumma peritia medici indigent, cujus officium eſt ſpeciei praevalenti, ideoque periculoſiori, altera haud omnino neglecta, ſuccurrere.

SECT. V.

Febris intermittens.

1. INtermittens febris haec eſt, quando inter paroxiſmos febriles plena απυρεξια, vel intermiſſio a febre. Sydenhamus noſter in ſymptomatibus

ptomatibus deſcribendis deficit; ſed in diſtinctionibus, natura, morbis pediſſequis, et curatione omnibus anteit.

2. Diſtinctio 1ma, In vernalem et autumnalem. 2da, In quotidianam, tertianam, quartanam, &c. et irregularem. 3tia, In quotidianam duplicatam; tertianam duplicem, tertianam duplicatam; quartanam duplicem, quartanam triplicem. 4ta, Epidemiam et endemiam.

3. Cauſa remota eſt nimia humiditas in aëre; 1. Quia veniunt temporibus anni humidis. 2. Aufugiunt temporibus ſiccis. 3. Quo magis humidum tempus, eo magis ſaeviunt. 4. In locis aquoſis paludoſis ſemper graſſantur. 5. Quando conſtitutio favet, morem gerunt humiditati aëris per hygrometrum menſuratae.

4. An humiditas operatur fibras relaxando? Ita videtur; quia, 1. Aqua fibras animales longiores et minus elaſticas reddit. 2. Qui tenſas fibras habent, minus obnoxii huic morbo. 3. Qui vinum aut ſpir. vini bibunt, minime obnoxii. 4. Pulſus revera tardior humidis temporibus quam ſiccis. 5. Intermittens curatur calidis et aſtringentibus.

5. Sequitur imminuta perſpiratio a vi fibrarum diminuta: ergo impedita perſpiratio Sanctoriana et laxa fibra, cauſae proximae. Sua enim mole ruunt theoreticae medicorum opiniones de origine hujus mali: ruit ſanguinis fermentatio

chylum

chylum acidum corrigens, uti Willisio visum est; fermentatio bilis et lymphae in duodeno et corde, uti Silvio; recursus et fermentatio succi nervosi in transitu per nervos et glandulas in vasa lymphatica obstructi, uti Borelli placuit; crudae acidaeque sanguinis particulae in superficie corporis haerentes, et fibras ibi vellicantes, ut Jones asseruit; aciditas sanguinis succum nervosum inficiens, ut Bezanson contendit.

6. Paroxismus se dividit in tria stadia, 1. Frigoris; 2. Caloris; 3. Sudoris.

Primum stadium incipit oscitatione; pandiculatione; sensatione quadam in dorso, aut digitorum extremitatibus, haud verbis describenda. Insequitur horror; tremor; dentium quassatio; summum frigus quod ad sensum, quando revera magis calet corpus; vomitus; dolor articulorum, dorsi, capitis; respiratio difficillima; urina pellucida; pulsus celer, parvus, debilis, contractus, propterque tremores vix numerandus. Durat per horam unam, duas, tres, vel quatuor. Stadium periculosissimum.

Frigore gradatim recedente, a tergo urget calor vix tolerandus. Arteriae se dilatant, digitumque cum impetu feriunt. Respiratio fortis et libera. Dolet caput; deliriumque aliquando adest. Sitis maxima, cum lingua alba. Praecordiorum calor magnus. In regione ventriculi dolor et aliquando tumor. Urina rubella. San-

guis

guis detractus plerumque ſolito denſior, praecipue vere, nonnunquam gravibus locis et temporibus ruber ſuperne, inferne niger eſt, cum parva ſeri portione, et minore quam in ſanitate cohaerentia. Stadium ſecundum.

Tandem aegro fere exareſcente tertium ſtadium incipit, cum copioſo per totum corpus ſudore. Omnia nunc remittunt ſymptomata, continuatoque per tres quatuorve horas ſudore, omnino diſparent; urina rubra ſedimentum deponit lateritium; ſomnus; intermiſſio.

Inter paroxiſmos, debilitas, ad ſudorem proclivitas, et appetitus proſtratus.

7. Omnia haec ſymptomata a laxa fibra et retenta perſpiratione originem plane ducunt. Sanguis inflammatus et viſcidus in extremis vaſis haeret; hinc ſenſus frigoris. Tremoribus repetitis ſolvuntur obſtructiones. Sanguine inflammata febris accenditur. Vaſa cutanea laxata, tantam vim ſuſtinere non poſſunt; ergo ſudor copioſus febrem tollens. Eadem fibrarum laxitate remanente, iterum redit paroxiſmus. A ratione compoſita ex diverſa ſanguinis inflammabilitate, diverſa perſpirabilis materiae quantitate, diverſaque fibrarum laxitate, diverſae oriuntur intermittentium ſpecies.

8. Aliquando citius, aliquando tardius ſolvuntur, uti epidemici conſtitutio permittit. Aegrum nonnunquam per plures menſes fatigant.

9. Inſequuntur

9. Insequuntur saepe dolores rheumatici, febris hectica, aqua intercus, hydrops, scorbutus, icterus, lien induratus et tumefactus, rachitis, diabetes, desipientia.

10. Diagnosis in primi paroxismi initio haud parum difficilis a febre continua. Tremor validus et frigus magnum, sine ullo interposito calore, tres vel quatuor horas durans, priorem; tremores parvi, frigus calorque vicissim, posteriorem potius indicant. Notitia epidemici regnantis, lateritium urinae sedimentum, sed praecipue decursus morbi periodicus, diagnosim confirmant. Species diversae, duobus paroxismis elapsis, certe solummodo cognoscuntur.

11. Prognosis bona quando in labiis pustulae apparent. Quo magis regularis febris intermittens in tribus stadiis, eo melior. Epidemicae pejores quam sporadicae; quartanae quam aliae; autumnales quam vernales. Hydrops incerta; si a scirrho viscerum oritur, mortem denunciat. Tonsillarum inflammatio lethalis. Infirmissimos senesque primum stadium nonnunquam rapit. Nimio motu, frigore, sudore impedito, medicamentis calidis mutatur in morbos acutos pleuriticos.

12. Curatur, 1. Venaesectione parca, si pulsus plenus, aliudve symptomata postulat, quod saepe accidit in vernalibus. 2. Sudorificis. 3. Vomitu ita exhibito ut ante paroxismum totum

corpus

corpus fortiter concutiat. 4. Medicamentis calefacientibus interne assumptis. 5. Extra applicatis forma olei, linamenti. 6. Salinis aperientibus. 7. Astringentibus. 8. Cortice Peruviano. 9. Corpus instaurando frictione; equitatione; cibo reficiente, et quam maxime ab accessione futura reducto; vino; loci mutatione. Caveat jam convalescens a solita paroxismi hora et die; diu enim meminisse convenit. Facile revertitur, nisi a sano aliquamdiu timetur.

In paroxismo indicantur multus potus diluens, acidulus, et moderatus calor.

13. Rheumatismus curatur frictione, calore et unguentis deobstruentibus. 2. Febris hectica curatu difficilis; prosunt venaesectiones parcae saepius in statu sanguinis inflammatorio perficiendae; epispastica repetita, et agitatio mitis. 3. Aqua intercus et hydrops, purgantibus et corroborantibus: incisio pedum aquae exitum patefacit. 4. Scorbutus raro medicamenta requirit; tollitur alvum ducentibus et deobstruentibus. 5. Icterus et lien induratus, medicamentis aperientibus saponaceis. 6. Rachitis, purgantibus et corroborantibus. 7. Diabetes, corroborantibus. 8. Desipientia, calefacientibus, instaurantibus, corroborantibus.

14. An certis praesidiis muniri potest corpus contra intermittentes, et quibus? Quare vernalis sanitatem promittit? An licet post morbum purgare?

purgare? Quare aliquando ſtadium primum frigoris, aliquando tertium ſudoris, nonnunquam utrumque, abſunt? Quare tam ſaepe relapſum patiuntur aegri, quando huic morbo favet aër? Quare quartana omnium curatu difficillima?

SECT. VI.

Febris remittens.

1. QUando in febre remiſſio certis vel incertis temporibus accidit, tunc febris remittens appellatur.

2. Diſtinguitur, 1. In quotidianam et tertianam. 2. Quando eodem tenore progeditur uſque ad criſim, vel mutatur in intermittentem.

3. Similem, ſed longe fortiorem habet cauſam remotam ac febris intermittens. Probatur iiſdem argumentis. Requiritur quoque, ni fallor experientia, praeteriti et praeſentis caloris intenſior vis.

4. Calor et humiditas agunt in corpus humores magis acres reddendo, fibras relaxando, perſpirationem impediendo, et majorem in ſanguine permutationem concitando.

5. Separat ſe morbus in duo ſtadia, acceſſionis et remiſſionis.

6. Incipit, uti febris, oſcitatione, pandicula-

tione, capitis levitate, frigore et calore alternatim. Sequitur febris et calor continuus. Nonnunquam delirium cum primo insultu adest. Sitis, vomitus bili, dolor capitis, dorsi et articulorum excruciant. Regio ventriculi dolet et tumet. Sanguis modo densus, modo dissolutus. Lingua alba et humida. Insomnia vexatur. Color ictericus in cute et oculis. Pulsus nonnunquam duriusculus, raro plenus. Alvus alias obstructa, alias nimis soluta. Parvo plerumque sudore antecedente, febris remittit secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, vel octavo die, quem rarissime praetergreditur remissio: mitigantur omnia symptomata. Elapsis horis aliquot, vesperi plerumque, redintegratur febris vis, antecedente fere frigore, aliquando nullo.

In paroxismo saepe rapitur aeger. Cerebrum immediate afficitur. Sensus et loquela pereunt. Respiratio acceleratur. Deglutitio impeditur. Diarrhoea supervenit. Pulsus initio mollis, vix debilis, non instans periculum indicat; sed paucis horis in tenuem et depressum mutatur. Obrumpunt sudores frigidi. Moritur. Aliquando, cessante per octo horas paroxismo, plena sed infida intermissio, uti bis mihi contigit videre.

Perficit suum cursum exacerbationibus et remissionibus febris ad solutionem, vel mutatur in intermittentem; nonnunquam etiam in continuam

nuam febrim transit ab aucto aëris calore, vel nimis calidis remediis.

7. Haec symptomata a laxa fibra, et inflammatoria sanguinis diathesi facillime deducuntur.

8. Crisis secundum indolem febris accedit sexto, septimo, &c. ad quartum decimum diem, quem raro transit morbus. Perficitur sudore copioso, salivatione, ictero universali, vel sanguinis ex naribus effusione. Rarius conspicitur magis optanda crisis per icterum vel haemorrhagiam.

9. Cessante morbo, saepe remanet dolor capitis acutus, vel tanta levitas ut pedibus incedere non possint aegri; dolores rheumatici; hydrops, et caetera mala quae intermittentes sequuntur.

10. Diagnosis ex antedictis facilis.

11. Nullus incertior morbus, neque unquam periculo vacat. Quo magis intermittenti appropinquat, vel a febre immunior in remissione, eo melius; quo magis febri continuae, quo brevior remissio et violentior paroxismus, eo periculosius. Urina antea rubra, tenuis facta, haud leviter terrere debet. Si remittens in continuam mutatur, in dubio vita est. Quando cerebrum affectum, et caetera symptomata antea descripta superveniunt, mors subest.

12. Totus in curatione scopus hoc nititur fundamento, ut remissio febris ad intermissionem deducatur. Perficitur, 1. Venaesectione. 2. Vomitu. 3. Alvi subductione, purgantibus lenio-

ribus, et clyſmatibus. 4. Potu multo aquoſo diluente; acidis vegetabilibus; refrigerantibus. 5. Epiſpaſticis, quae egregie huic ſcopo ſatisfaciunt. 6. Victu ſorbili et refrigerante. Convaleſcentibus dieta magis ſiccans convenit.

Quando plena intermiſſio, morbus profligatur cort. Peruv. Si non tranſit in intermittentem, debellatur ſudorificis medicamentis haud calefacientibus, in ſudoribus criticis rite exhibitis.

13. Symptomata mitiganda: 1. Vigiliis, opiata; 2. Dolori capitis, hirudines, et epiſpaſtica ad tempora applicata; 3. Diarrhoeae ſymptomaticae, rheum, et aſtringentia cum ſudorificis; 4. Capitis levitati, morbo ceſſante, opiata; 5. Caeteris ſymptomatibus, remedia in intermittente deſcripta, conveniunt.

14. Ad medicinam prophylacticam conducunt, humidi aëris correctio igne, aromaticis, &c. matutini aëris evitatio; victus lautus; vinum rubrum; exercitium; balneum frigidum; cortex cum amaris; nicotianae fumus. Haec ad intermittentes quoque pertinent.

15. Quare febris remittens ſudorificis ſaepe mutatur in continuam? Quare calore aëris ſuperveniente magis accedit ad febrem continuam? Quare minus in recidiva periculum?

SECT.

SECT. VII.

Febris hectica, vel marasmus.

1. FEbris quae leniori gradu procedit, vires debilitat, tabemque infert, hectica dicitur.

2. Distinguitur in hecticam idiopathicam, et symptomaticam. Hecticae symptomaticae originem trahunt ab infarctionibus scirrhosis et ulceribus omnium viscerum, sed praecipue pulmonis et mesenterii; quia prior aëris externi injuriis et totius sanguinis pertranseuntis momento patet; posterior compressioni alimentorum in primis viis, viscido chylo et leniori sanguinis per intestina motui poenas dat. Harum descriptio et curatio ad morbos, a quibus pendent, relegenda est.

3. An ulla datur hectica febris, quae primario et immediate ab aliqua sanguinis acrimonia provenit? Multas mihi certe contigit vidisse, ubi nullum viscus prae aliis, per totum morbi decursum, laborabat. Neque fidem huic opinioni derogant viscerum obstructiones, quae semper in cadaveribus inveniuntur. Effectus enim, aeque ac causae sunt febrium hecticarum.

4. Huic opinioni quoque favet contemplatio

causarum remotarum, quae hecticas inducunt; quales sunt animi pathemata immoderata, moeror diuturnus, ira, curae vel vigiliae; nimiae evacuationes sanguinis, lactis, seminis, salivae, puris, sudoris vel foecis alvinae; medicamenta nimis acria, uti mercuriales praeparationes, purgantia acria; debilitas primarum viarum, qua chylus crudus vel fermentatione inquinatus ad sanguinem defertur; morbi praegressi, uti intermittentes, variolae, morbilli, hydrops, scorbutus, scrophula; evacuationes cohibitae; frequens inebriatio; aetas senilis et infantilis.

5. An haec acrimonia est salinae et alkalescentis naturae? Ita videtur a praegressis causis remotis, et medela, ubi succi mucilaginosi et acida prosunt.

6. Symptomata eadem fere sunt ac in phthisi. Adsunt calor praeternaturalis, perennis et praesiccus; appetitus prostratus; pulsus debilis, parvus et frequens, sed sumpto cibo fortior et plenior; sitis; nullus aegritudinis sensus; urina rubra et pelle pinguedinosa cooperta; ruborque genarum post pastum. Oculi nunc cavantur; venter contrahitur; cutis durescit; somnus non reficit; diarrhoea advenit; corpus contabescit; et mors lento gradu advenit.

7. A fluidis acribus et febre depascente oriuntur haec symptomata.

8. Facillime dignoscitur ab omnibus aliis febribus

bribus lento ſuo progreſſu. A primo hydrocephali ſtadio difficillime; et nonniſi ſedula, ad ſymptomata unicuique propria, attentione.

9. Curationem admittit ſi tempeſtive occurritur. Sed quando vires maxime proſternuntur, crines defluunt, diarrhoea colliquativa, ſudores nocturni, pedum tumor, urina oleaginoſa, vel facies Hippocratica ſuperveniunt, actum eſt de aegro.

10. Huic ſanguinis acrimoniae obviam itur, 1. Primas vias a ſordibus liberando vomitu leni et rheo. 2. Demulcentibus et inviſcantibus medicamentis, uti emulſionibus ex amygdalis dulcibus; decoctis ex vegetabilibus mucilaginoſis, hordeo, althaea, tuſſilagine, &c. juſculis pullinis, gelatinis et oſtreis, ſi ſtomachus ferat. 3. Dieta lactea, lacte praecipue aſinino vel muliebri, ſeroque lactis praecipue caprini. 4. Corroborantibus et leniter adſtringentibus, uti conſerv. roſar. rubr. tinct. roſar. elix. vitriol. cortice Peruviano, aquis ferrugineis, &c. 5. Equitatione continuata et peregrinatione. 6. Attentione ſemper habita ad cauſas remotas, a quibus ortum duxit, viz. inebriationem, evacuationes ſuppreſſas, materiam retropulſam, aliaſque.

PARS TERTIA.

De febribus quae oriuntur in partibus.

SECT. I.

De inflammatione in genere, ejusque terminatione per resolutionem, abscessum, gangraenam vel scirrhum.

1. JAM procedendum est ad eos morbos qui in partibus oriuntur, pauca de inflammationibus in genere, earumque terminationibus, praefatus, ut sequentia melius intelligantur.

2. Inflammatio varia sortitur nomina secundum speciem vel partes affectas, viz. Erysipelatis, phlegmonis, furunculi, phrenitidis, ophthalmiae, &c.

3. Omnes quotquot sunt inflammationum diversae species oriuntur a stasi vel stagnatione particularum sanguinis rubrarum, in vasis minimis sanguineis vel serosis haerentium, fluidorum transitum impedientium, et irritationem producentium. Hinc omnes corporis partes, praecipue glandulae et membrana cellularis, stasibus obnoxiae sunt.

4. Has

4. Has inflammationes excitat, 1. Quodcunque vasa arteriosa ita coarctat, ut eorum diameter minor fit diametro particulae rubrae, quamvis elongatae, quale spasmus, irritatio, vulnera, contusio, luxatio, fractura, ligatura, ambustio, &c. 2. Quodcunque adunat et inspissat sanguinem ut arterias pertransire non possit, quale frigus, frigidus potus, spiritus fermentati, motus vehemens, et medicamenta, vel venena inspissantia. 3. Quodcunque particulas rubras in ora vasorum serosorum adigit, uti vehemens motus, radii solares, et plethora.

5. In omnibus inflammationibus pars tumet, rubet, dolet, et plerumque splendet; pulsus citatur; sitis adest; pulsatio in parte affecta sentitur; sanguisque detractus viscidus et pellicula coriacea semper fere coopertus.

6. Quia plus affluit per arterias quam refluit per venas, pars tumet. Celerior circulatio, ideoque major attritus, in vasis patentibus calorem efficit. Splendet, quia a superficie magis aequabili plures repercutiuntur radii. Distentio fibrarum dolorem, febrem, et sanguinis densitatem excitat. Obstaculum impulsui sanguinis resistit; hinc pulsatio.

7. Inflammatio terminatur resolutione impactae materiae, suppuratione, gangraena, vel scirrho.

8. In internis inflammationibus resolutio semper

per optanda; in externis, praeſertim in malo habitu, vel criticis ſecretionibus, ſuppuratio nonnunquam eligenda.

9. Impacti globuli rubri attenuantur, et in circulum iterum redeunt, 1. Diminuendo impetum ſanguinis a tergo urgentis, venaeſectione, alvi ductione, et inedia. 2. Vaſa ipſa inflammata, vel quam proxima, deplendo ſcarificatione, hirudinum applicatione, &c. 3. Vaſa externa relaxando fomentationibus et cataplaſmatibus emollientibus, mucilaginoſis, oleoſiſque; et calore. 4. Sanguinem inſpiſſatum et impactum attenuando potu multo tepido diluente, et medicamentis attenuantibus ſtimuloque carentibus. 5. Cauſas remotas tollendo.

10. Si materia obſtruens non reſolvitur ante quartum diem, tunc ſtagnatione et calore humores inteſtinum motum concipientes mutantur, vaſa jam emollita diſſolvuntur, et liquidum albicans pus appellatum formatur.

11. Si ſymptomata inflammationis non remittunt, ſed augeſcunt, ſuppuratio poſt quartum diem promovenda eſt medicamentis pinguibus oleoſis maturantibus dictis; calore partis affectae; pleniore dieta; et cardiacis, ſi adſit debilitas, interne ſumptis. In ſtatu plethorico ſuppuratio promovetur venaeſectione. Ope chirurgiae exitus materiae paratur.

12. Inflammatio ſaepe mutatur in gangraenam

vel

vel ſphacelum. Haec gradu ſolummodo differunt. Gangraena incipientem putrefactionem, ſphacelus jam factam declarat. Cancrum veteres appellarunt.

13. Gangraenam inducunt, 1. Omnia quae vaſa ita comprimunt et conſtringunt, ut omnino denegetur humoribus tranſitus, qualia ſunt rodentia medicamenta, ambuſtiones graves, compreſſio, frigus ſummum, adſtringentia, et quodcunque inflammationem primario excitavit. 2. Omnia, quae corpus vel partem affectam debilitant, ut propulſioni ſanguinis non ſufficiant, qualia ſenectus, pathemata relaxantia, hydrops, nimia humiditas, et externae applicationes oleoſae. 3. Omnia, quae tantam in humoribus acrimoniam gignunt, ut ſtaſi ſemel facta, in ſummam putredinem ruant, qualia ſunt prava dieta, ſcorbutus, variolae, dyſenteria, eryſipelas, febres malignae et peſtilentiales, nonnullaque venena.

14. Cauſa proxima eſt putrida partium ſolidarum fluidarumque fermentatio, a motu ſanguinis omnino intercluſo, ejuſque quiete excitata, et particulis phlogiſticis praecipue inhaerens.

15. Talem gangraena progreſſum habet. Primo tumor in apice flacceſſit, dolor mitigatur, et color obfuſcatur. Cutis relaxatur, veſtigium prementis digiti retinet, omnem fere ſenſationem amittit, et liveſcit. Tumida partis elevatio conſpicitur, quae in proximas quoque ſeſe diffundit.

fundit. Elevantur puſtulae ichorem ſubflavum continentes et in baſi nigreſcentes. Tunc cutis parteſque ſubjectae corrumpuntur, emoriuntur, nigreſcunt, frigent, omnem ſenſum amittunt, et in ſaniem foetidam graveolentem diffluunt. Serpit gangraena vicinaque corripit; tandem horrores, febris, ſudores frigidi, pulſus parvus et debilis, et ſyncope mortem celerrime adferunt.

16. Plus minus nigreſcit pars a diſſolutione olei ſpiſſioris, quo ultimae connectuntur particulae. Molleſcit a divulſione et ſeparatione harum particularum. Tumeſcit ab aëre ſeparato et elaterium ſuum recuperante. Dolor perit ab intercluſa omni cum ſanis communicatione. Undequaque ſerpit, quia putridum fermentum eundem motum inteſtinum exitialem in ſanis excitat. Tandem partes putridae, venis abſorptae, humores contaminant, mortemque adferunt.

17. Prognoſis egregie ſibi differt ſecundum locum affectum: gangraena partium externarum ſaepe, partium internarum rariſſime vel nunquam, curatur. Periculoſior multo, quando ab internis cauſis, quam ab externis, oritur. Ægroti ratio habenda quoque eſt; in juvene, enim, vegeto, nulloque alio morbo laborante, ſpem ſanationis promittere licet; ſed in ſenibus, tardis, impuris, et morboſis, magis incerta devenit prognoſis. Suppuratio ſemel incepta feli-

cem

cem denotat eventum. Sphacelus amputationi ſoli cedit.

18. Obviam itur gangraenae, 1. Tollendo cauſas remotas quae eam induxerunt. 2. Scarificatione uſque ad partes integras, ut exitus ſaniei pateat. 3. Fomentationibus ex herbis amaris ſtimulantibus, medicamentis calidis et ſpirituoſis. 4. Cataplaſmatibus ex medicamentis calidiſſimis, viz. theriaca, herbis amaris, et ſpirituoſis. 5. Cortice Peruviano, quantum ferre poteſt ventriculus, perinde aſſumpto. 6. Dieta refocillante. 7. Si a gelu ortum duxerit, regelando nive impoſita, vel aqua gelida.

19. Scirrhus eſt tumor durus, ſine dolore, partes carnoſas, pulmones, meſenterium, uterum, ſed praeſertim glandulas, occupans, ab antecedente inflammatione, vel viſcido humorum ſtatu proveniens. Hinc a compreſſione vicinarum partium varia inducit mala, viz. paralyſim, deglutitionem impeditam, ſterilitatem, volvulum, aliaque.

20. Inducunt inflammatio, lac ſtagnans in mammis, virus venereum, ſuppreſſio menſium, dieta craſſa et farinacea, ſanguis ſpiſſus atrabilarius, labes hereditaria.

21. Morbus ſemper mitior in pueris quam ſenibus. Quo pars affecta magis neceſſaria ad vitam, eo pejor morbus. Internae externis periculoſiores.

culoſiores. Dolores ſupervenientes minitant carcinoma.

22. Scirrhus curandus eſt, 1. Reſolventibus emplaſtris, cataplaſmatibus, vaporibus externe applicatis. 2. Aperientibus interne ſumptis, viz. ſapone, rad. ſcillae, rad. mezerion, extract. cicutae, aq. ſulphureis, aq. marina, antimonio, mercurio. 3. Inciſione.

23. Sed ſi ſcirrhus immobilis, inaequalis, dolens, et partibus neceſſariis adhaerens, vitium hereditarium, vel habitus malus, tunc lenire potius convenit dieta blanda vegetabili, quiete, alvi laxitate et empl. ſaturninis, quam medicamentis in cancrum exacerbari, vel ferro anceps experiri auxilium.

24. Haud infrequens eſt foeminis non amplius parturientibus, uteri ſcirrhus, qui a ſuppreſſione menſium, relaxatione uteri a fluore albo, difficilique partu oritur, et ſtipatur pondere hypogaſtrii, difficili in latere ſano vel utroque decubitu, ſuppreſſione menſium, venis varicoſis et nonnunquam diſrumpentibus, hydropeque abdominis. Niſi medicinae palliativae vix locus eſt; nam aperientibus in cancrum ſaepe mutatur.

SECT.

SECT. II.

Phrenitis, ſive inflammatio cerebri ejuſque membranarum.

1. PHrenitis eſt febris acuta inflammatoria, orta a ſanguine intra cranium congeſto, et ſtipata ſaeviſſimo capitis dolore, mentiſque alienatione.

2. Diſtinguitur, 1. A partibus primario affectis, viz. dura matre, vel pia matre, vel cerebro ipſo. 2. In idiopathicam et ſymptomaticam. Prior rariſſime in hiſce frigidis regionibus apparet; poſterior ſeſe aſſociat omnibus fere febribus, ſed praeſertim malignis, varioloſis, et caſtrenſibus.

3. Ad hunc morbum praecipue diſponuntur mente mobiles; iracundi; in diſciplinis literarum exercitati; caput debile habentes; et aetas juvenilis. Tempore aeſtivo calidiſſimo praecipue graſſatur.

4. Cauſae remotae ſunt vinolentia; vigiliae; longa expoſitio, praeſertim capite nudato, radiis ſolis aeſtuantibus; iracundia; nimia cogitatio; moeror et cura; vehemens deſiderium; ſedentaria vita; externa violentia; haemorrhoidalis fluxus, vel lochiorum ſuppreſſio.

5. Cauſa

5. Causa proxima est stasis sanguinis in ipsa cerebri substantia, vel ejus membranis, vel in utrisque. Hanc docent causae remotae, symptomata et sectiones cadaverum.

6. Incipit rigoribus, quos sequuntur calor, dolor et pulsatio capitis; turbatus somnus; sonitus intra caput; aurium tinnitus; oculi inflammati, dolentes, et lumen refugientes; vultus inflatus; auditus acutus, et irritatio a levissimo strepitu; pulsus saepissime debilis, nonnunquam durus, semper humilis et depressus; urina aquosa; vigiliae continuae, usque ad octavum diem protractae; conspicua arteriae carotidis pulsatio; sanguinis per nares distillatio; magna debilitas, anxietas et suspiria; lingua modo alba et mucosa, modo nigra et arida; iracundia insueta; delirium ferox; convulsiones. Morbo depulso, aeger plectitur ad longum tempus vertigine, debilitate et dolore oculorum, acuto auditu, et gravitate capitis.

7. Critice terminatur morbus inter septimum et quartum decimum diem resolutione et ejectione obstruentium humorum per haemorrhagiam, diarrhoeam, vel urinam sedimentum deponentem. Humoribus non resolutis, morbus vel suppuratione, vel gangraena terminatur: saepe in alios degenerat morbos, scil. maniam, lethargum, melancholiam vel desipientiam perpetuam.

8. A vasis cerebri inflammatis et obstructis

proveniunt

proveniunt ſenſus externi acutiores, vigiliae, debilitas, delirium, caeteraque ſymptomata. Tarde admodum in ſuppurationem abit hic morbus, quia arteriae cerebri tunicis deſtituuntur elaſticis, vel ſecundum alios, tenuiores habent, et quia varie inter ſeſe contorquentur: hinc diminuitur momentum ſanguinis.

9. Non exacte ab antiquis ſcriptoribus diſtinguitur phrenitis a mania, quanquam in poſteriore morbo nulla vel ſaltem tantilla adeſt febris. A lethargo dignoſcitur vivido colore, reſpiratione celeriori et pulſu humili; a delirio, ſymptomatibus quae cerebrum ab initio affectum demonſtrant. Inflammatio meningum indicatur duritie; cerebri, mollitie pulſus.

10. Morbus periculoſiſſimus eſt a ſumma partis ad vitam neceſſitate. Viri gravius laborant, et aegrius evadunt quam foeminae. Quo audaciores ſunt aegri, et quo magis a natura ſua receſſerunt, eo in majore verſantur periculo. Haemorrhagia narium bona. Mali ominis eſt phrenitidem in lethargum mutari. Aphonia, convulſiones, ſingultus, vox tremula, pro ſignis maxime infauſtis habenda ſunt.

11. Indicatio curatoria eſt impetum ſanguinis in vaſa diminuere, et humores impactos diſſolvere. Perficitur, 1. Venaeſectione a vena jugulari, vel arteria temporali, repetita quouſque vires ſinunt. Si pulſus hanc non perfert, quod ſaepe

accidit, praecipue poſt tertium diem, tunc ſanguis per cucurbitulas vel hirudines a temporibus extrahendus, vel nares internae ſcarificandae ſunt. 2. Ductione alvi leniſſimis purgantibus vel clyſmatibus. 3. Involutione pedum in humidis et tepidis involucris, vel cataplaſmatibus emollientibus. 4. Nitro, cum pauxillo camphorae, intus aſſumpto. 5. Acidis vegetabilibus. 6. Capillorum raſione, et emplaſtris epiſpaſticis, poſt debitas evacuationes, capiti applicatis. 7. Potionibus diluentibus, et dieta tenuiſſima humectante. 8. Cubiculo obſcuro et tenebroſo, aëre temperato, ſumma quiete et adſtantium ſilentio, ſitu erecto, vel capite paululum elevato ſupra lectum.

12. Ad debilitatem, ſyncopen, fatuitatem, morbo declinante, victus nutriens et vinum. Ad vigilias continuas ſedantia; pediluvia; frictiones pedum; decocta papaverum externe capiti applicata; murmur undarum; enarratio fabularum; et inflammatione ſubacta, anodyna.

SECT. III.

Ophthalmia

1. EST inflammatio membranarum oculum inveſtientium, praeſertim tunicae albugineae.

2. Diſtinguitur,

2. Diſtinguitur, 1. In leviorem, graviorem, et graviſſimam vel chemoſim. Levior intra limites tunicae adnatae et ſcleroticae continetur; gravior praeter has partes etiam confines palpebras infeſtat, oculumque vehementi dolore et ardore afficit; chemoſis ad ima oculi, ipſamque retinam penetrat, et ſtipatur delirio, ſuppuratione, et humorum effluxu. 2. In veram, a cauſa magis interna; et ſpuriam, a cauſa magis externa provenientem. 3. In humidam, ubi multum ſeri acris; et ſiccam, ubi parum vel nihil ex oculo affluit. 4. In periodicam, quae quodam tempore, praecipue circa aequinoctium, infeſtat; et epidemicam, quae oritur a diuturna aëris conſtitutione frigida. 5. In idiopathicam, et conjunctam aliis morbis, viz. lue venerea, ſcrophula, febribuſque nonnullis. 6. In continuam et intermittentem; poſteriorem ſpeciem videre contigit, graſſantibus febre remittente et intermittente.

3. Cauſae remotae vel externe vel interne agunt. Externe agit plaga; pulvis inſperſus; aura frigida borealis liberius admiſſa; ſudor ſubito ſuppreſſus; crebrior conſpectus nivis, ignis, ſolis et colorum ſplendidorum; expoſitio aëri matutino frigidiuſculo et tenebroſo, quem excipit tempus antemeridianum calidum et ſplendeſcens; fumi acres et metallici; depoſitio cataractae adminiſtrata. Interne agunt ſalutares excre-

tiones cohibitae, uti menſes, matutinus ſudor, &c.; ſcabies, gutta roſacea, vel tinea capitis repulſa; fiſtulae et ulcera conſolidata; crapula; liquoris fermentati intemperantia; vigiliae nimis protractae; lucubrationes nocturnae; praecedentes ophthalmiae, aliique morbi oculorum; variolae et morbilli.

4. Cauſa proxima eſt obſtructio, impletio et diſtenſio vaſorum tunicae albugineae, quae in ſtatu ſano pellucidum vehunt liquorem, a ſanguine ibi congeſto. Viſus ipſe veritatem teſtatur. Patet quoque experimento; nam, injecto in ramum carotidis liquore rubicundo, albuginea oculi tunica rufeſcens et inflammata apparet.

5. Ophthalmia ſtipatur ſenſatione veluti muſcae oculo inhaerentis; ardore; rubore; tumore; acuto dolore, ut oculi tanquam ab infixa ſpina ſtimulari videantur; ſeri ſalſi et ferventis ex oculis effluxu; ſorde majoribus angulis inhaereſcente, praecipue poſt ſomnum; viſu imminuto vel plane deperdito, et lumen refugiente; pulſu citato et duriuſculo: arteriarum pulſatione; tumore palpebrarum et partium circa jacentium. In graviori malo adnata inflammata ſupra corneam ſeſe elevat: muſcae volitantes obverſantur oculis; pulviſque obſcurus, aliarumque rerum incerta ſimulacra hinc et inde vagantur. Sequuntur ſuppurationes, maculae in cornea, humorum ſpiſſitudo et corneae craſſities.

6. In

6. In diagnosi stabilienda, si praeter signa externae ophthalmiae, ophthalmico videantur muscae volitantes in aëre oculis obversari, consors morbi et periculi, secundum Pitcarnium, retina est. Hanc opinionem refutavit, vir jure magni nominis in ocularia philosophia Porterfieldius, et demonstravit nubeculas volitantes, coloremque corporum obversorum mutuantes, humore aqueo inesse. Grave a lumine incommodum irim et nervum affectum indicat.

7. Levis facile dispellitur: gravissima in oculi suppurationem cum coecitate transit: gravior est contumacior; durat per menses; haud raro maculas in cornea relinquit; visus hebetudinem inducit; corneam crassiorem et humores impuriores reddit. Quando inflammatio interiores partes occupat, periculosior. Laboranti prodest alvi profluvium. Inflammatio oculi, strumis antea labefactati, aegre recedit. Maculae inveteratae difficillime sanescunt.

Medela nititur, 1. Sanguinis vel seri acris motu a capite derivato; et 2. Stasi inflammatoria discussa.

Humores ab oculo derivantur, 1. Sanguinis, praesertim e jugulari, missione, et secundum plethoram, aetatem, anteactam vitam, &c. repetita. 2. Cucurbitulam cum scarificatione nuchae admovendo. 3. Hirudinibus tempori, et sub ipso oculo, saepius applicatis. 4. Medica-

mentis leniter laxantibus et antiphlogiſticis. 5. Veſicatoriis, depletis prius vaſis, cervici, pone aures, ſed praecipue capiti et tempori, applicatis. 6. Pediluviis. 7. Ad cutem determinando liberali potione theae et diaphoreticis, praeſertim in ſero acri ſalſo. 8. Setaceis et fontanellis in vetuſto malo.

Staſis diſcutitur, 1. Succos acres et ſalſos corrigendo potionibus diluentibus et demulcentibus. 2. Vaporem aquae calidae ad oculum, tecto capite, admittendo. 3. Fotu lactis calidi. 4. Superimponendo pulticulam ex candidi panis interiore parte cum lacte cocta, et ſaepe renovando. 5. Quando remittit inflammatio, neque antea, linamentis et collyriis leniter repellentibus et exſiccantibus; haec enim nimis cito uſurpata, vel nimis acria, inflammationem potius augent. 6. Abſtinentia in initio, dein victu ſumme temperato; quiete in loco obſcuro; oculum tegendo velamine viridi; evitatis ſpirituoſis, vino, fumo tabaci, ſternutatoriis, vomitu, ceparum alliique vapore, ſermone, vigiliis, motu exaeſtuante, ſolis lucidorumque corporum aſpectu.

Quidam praecipiunt ſcarificationem palpebrarum interius, utut ipſorum oculorum, quam ophthalmoxam vocant, ut haerenti ſanguine exitus tempeſtive paretur. Haec, non niſi in vehementiſſimis malis, quae nullis aliis auxiliis ceſ-

ſerunt,

ferunt, adhibeatur; ut nihil praetermissum videatur, quod a nonnullis pro remedio efficaci celebratum fuit.

9. Ophthalmiae scrophulosae specifica, cort. Peruvianus, mercurialia, et aquae minerales ferrugineae purgantes; venereae collyria, quae habent parum merc. dulcis, conducunt.

10. Ad maculas et visum imminutum, axungia viperarum oculo crebrius instillata; sal volat. sal amoniac. oleo majoran. imbutum, et odore crebrius naribus susceptum; vapor decoctionis ex rad. valerian. flor. sambuc. sem. foenicul. oculo admissus; balnea aquae dulcis; deobstruentia; mercurialia, prosunt.

11. Ad hoc malum praecavendum utiles sunt fonticuli; venaesectio circa aequinoctia; purgationes; dieta refrigerans; evitata nocturna lectione, praesertim librorum qui typis minoribus exarati sunt, aliisque antea memoratis.

SECT. IV.

Angina inflammatoria.

1. ANgina a Latinis, vel κυναγχη, λυναγχη, et συναγχη, a Graecis appellata, est affectio faucium, quam impedita et dolorifica deglutitio,

vel reſpirandi difficultas, vel utraque ſimul comitantur.

2. Diſtinguitur, 1. A practicis autoribus in veram et notham. Quando tumor a ſanguine congeſto provenit, vera angina; quando a ſero, notha appellatur. 2. Secundum loca affecta, ſi ſit membrana mucoſa tantum, aut radix linguae cum oſſe hyoide, initium oeſophagi, muſculi laryngis vel pharyngis, trachea arteria, glandulae, tonſillae, velum pendulum palati, uvula, muſculi maxillam moventes, vaſa ſanguinea, ſeroſa, lymphatica, vel nervi. 3. In idiopathicam et ſymptomaticam. Sed uſui melius accommodatur diſtinctio. 4. In inflammatoriam et malignam anginam. Incipiam a priore. 4. Illa rurſus diducitur in manifeſtam, ubi tumor internus apparet; et occultam, ubi nullus conſpicitur. Prior a pleriſque antiquis Cunanche, poſterior Sunanche appellatur; non enim de hiſce nominibus conſentit ſcriptorum cohors.

3. Adoritur praecipue mares; juvenes; ſanguineos; plethoricos; rufos; cervicem nimis veſtientes, raro enim foeminae laborant, morbumque ſemel perpeſſos. Graſſatur durante gelu et tempore vernali.

4. Cauſae remotae ſunt cohibita perſpiratio, praeſertim in collo; frigidi aëris in fauces admiſſio, praeſertim ſi vis applicati aëris equitatione vel rapido motu augetur; potus aquae frigidae; nimia

mia harum partium exercitatio cantu, vociferatione, tubarum flatu, &c.; aëris epidemici conſtitutio; acres cibi, potus, medicamenta vel venena; particulae acres, vel fumi cauſtici, quales inſecta, fumi acidi minerales, arſenicales, antimoniales, &c.; corpora dura et acuta in faucibus haerentia; evacuationes naturales ſuppreſſae, vel artificiales omiſſae.

5. Pro cauſa proxima agnoſcit inflammationem diverſarum partium gutturis, quae deglutitioni vel reſpirationi inſerviunt. Autopſia, cauſae remotae, ſymptomata et ſectiones cadaverum hanc manifeſtant.

6. Angina manifeſta pharyngem, tonſillas, uvulam, et velum pendulum palati occupans, ſeſe prodit ſenſu frigoris; aſperitate gutturis; dolore in deglutienda ſaliva; pulſu frequenti, valido et duriuſculo; ſanguine denſo, cruſtaque alba cooperto. Fauces, depreſſa lingua, rubrae, tumidae, coarctatae, et inflammatae apparent, magnaque muci viſcidi copia oblinitae. Aucto tumore, deglutitio et reſpiratio magnopere impediuntur; dolor in auribus ſentitur; oculi ſunt ſanguinolenti et prominentes; et vultus rubet, tumetque. Æger nunc ore aperto erecte ſedet; nauſea frequenter tentatur; maxillam ob dolorem vix movere poteſt, et perpetuam inſtantis ſuffocationis ſenſationem habet. Collum externe ſaepe tumet, et rubet. Potus per nares rejiciuntur.

ciuntur. Tandem, morbo procedente, pectus ſtridet, vultus liveſcit, pulſus deficit, et aeger ſuffocatur.

Angina occulta, laryngem, vel ſuperiorem tracheae partem occupans, aſſociatur acuta febre; pungente partis dolore; reſpiratione celeri et impedita; deglutitione fere illaeſa; voce acuta et ſtridula; oris hiatu; ſumma pectoris anxietate; ſenſu ſuffocationis; tumefactione venarum circa collum et fauces; vultus livore; laeſione omnium cerebri functionum; et ſubita ſuffocatione primo, ſecundo, vel tertio die.

7. Terminatur utraque ſpecies reſolutione impactae materiae, et ſecretione per urinam vel ſudores; ſuppuratione tumoris quarto vel quinto die, et effluxione materiae purulentae ſanguine commixtae; induratione glandularum in ſcirrhoſum tumorem, et gangraena. Rariſſime ſuppuratur angina occulta ob partium tenuitatem et ariditatem.

8. In priore ſpecie deglutitio neceſſario laeſa eſt, quia partes et muſculi deglutitioni inſervientes, nunc tumefactae et rigidae, nequeant ſine dolore moveri. Tumor partium circa jacentium occludit rimam glottidis, et ſuffocationem minitatur. Magna muci copia eructatur a glandulis et cryptis humoribus turgidis. Inflammatio tubae Euſtachianae, in aurem internam a faucibus tendentis, auris dolorem excitat. A compreſſi-

one

one venarum ſanguinem revehentium, et impedito ſanguinis tranſitu per pulmones, oculi et vultus tument et inflammantur. Nauſea ab irritatione faucium provenit. Maxilla inferior fere immobilis, ab inflammatione muſculorum ejus motui ſubſervientium. Ob clauſum oeſophagi iter, materies detrudenda motu convulſivo per nares rejicitur.

In occulta angina ſymptomata proveniunt a partibus membranaceis aſperae arteriae et laryngis affectis, et coarctatione rimae glottidis; hinc pulmones non ſatis explicantur, ſanguinis tranſitus interrumpitur, et circa cor, venamque cavam accummulatur.

9. Dignoſcitur angina a lue venerea, quia prior ſtipatur febre et magna inflammatione cito ad acmen tendente; ſed poſterior gradatim obrepit, et fauces depaſcitur ſine febre notabili: ab angina maligna, ſymptomatibus jamjam deſcribendis.

10. Si pharynx tantum inflammatur, libereque adhuc reſpirat aeger, impedita quamvis deglutitione, in vado adhuc res eſt. Sed ſi reſpiratio multum laedatur cum ſumma anguſtia et anxietate pectoris, periculoſus devenit morbus. In priore ſpecie poſt quartum diem ſuppuratio deſideranda; in poſteriore nihil boni praeſagiri poteſt, niſi in cita reſolutione. Occulta ſemper periculoſa, praeſertim ſi muſculus thyreo-arytenoidaeus, occluſioni glottidis dicatus, inflammetur.

Tumor

Tumor partium externarum bonum dat praesagium; sed si subito evanescat, auctis a materiae in internas partes translatione symptomatibus, in praecipiti res est. Angina ab aliis morbis originem ducens, corpore debilitato, mala. Imminentem mortem ostendunt spuma oris, lingua tumida et purpurea, rigorque extremitatum cum pulsu intermittente et convulsivo.

11. Indicationes curatoriae sunt, 1. Evacuationem et revulsionem sanguinis a partibus affectis; et 2. Resolutionem impacti humoris moliri.

Evacuatio et revulsio perficitur, 1. Venaesectione ampla et repetita, praesertim a vena jugulari, si debita quantitas hac via affluat. 2. Purgantibus lenissimis et clysmatibus. 3. Epispasticis circa collum applicatis.

Resolvuntur impacti humores, 1. Medicamentis nitrosis. 2. Gummi guajaco post debitas evacuationes exhibito, quod instar specifici in hoc morbo operatur. 3. Vapore calidae aquae cum pauxillo aceti faucibus per infundibulum applicatae. 4. Gargarismatibus resolventibus et discutientibus. 5. Applicationibus externo collo discutientibus et relaxantibus. 6. Aëre ad caliditatem vergente, et elevatione capitis in decubitu; evitatis animi pathematibus, loquela, et motu.

12. Ad praecavendam suffocationem optime conducunt

conducunt emetica, et, ni ſtranguletur aeger, bronchotomia.

Angina maligna.

1. Angina maligna, vel morbus ſtrangulatorius, vel peſtilens faucium affectus, eſt affectio faucium ſtipata febre acuta et ulceribus has partes depaſcentibus. Ulcerum Egyptiacorum, vel Syriacorum nomen ſortitur ab Araeteo, qui exacte deſcribit. Poſthac, vel latente morbo, vel a medicis praetermiſſo, initio decimi ſeptimi ſaeculi in Hiſpania, et Italia cum diriſſimis ſymptomatibus ſeſe manifeſtabat, medicorumque attentionem vindicabat. Maximas meretur laudes ob accuratam hujus morbi deſcriptionem Fothergill.

2. Saepius et gravius hoc morbo tentantur tenelli quam adulti, puellae quam pueri, infirmi quam vegeti, leucophlegmatici quam ſanguinei. Seſe monſtrat praecipue autumno, praegrediente calida tempeſtate.

3. Cauſa proxima hujus morbi eſt miaſma quoddam ſui generis corpori ab aëre vel corporibus antea affectis communicatum. Frequens morbi ad aſtantes et totam familiam per ſpiritum vel ſaniem ore ejectam tranſmiſſio, morbum contagioſum demonſtrat.

4. Virus

4. Virus corpori immissum agit in totam humorum massam, sed praecipue in fauces, et liquores a glandulis ibi secretos, viribus nativis ad putredinem et acrimoniam disponentibus. Hoc plane elucescit ex symptomatibus, medela, et cadaverum dissectione.

5. Sese monstrat frigore, dein calore urente et intenso; vertigine; dolore capitis; immobilitate cervicis; molesta sensatione in gutture; nausea, et vomitu; diarrhoea; oculis inflammatis et aquosis; facie tumida et rubore suffusa; inquietudine; anxietate; lipothymia; mentis alienatione; pulsu celeri et plerumque debili, raro, valido et duro; sanguine florido, laxo et dissoluto, in initio nonnunquam inflammatorio; urina primo cruda et serosa, postea quasi bile tincta; lingua humida, et muco saepe obducta; deglutitione non valde laesa vel impedita; odore in faucibus ingrato; spiritu graveolente et putrido; uvula, tonsillis et pharynge tumefactis et florido colore nitentibus, insequentibus postea maculis albis prope tonsillas ulcus foetidum et sanie scatens tegentibus; narium internarum rubedine et excoriatione; facie, cervice, pectore, et brachiis, usque ad extremos digitos, tumefactis, colore coccineo nitentibus, et nonnunquam erysipelosis; pustulis hinc et illinc manus obsidentibus; glandularum parotidum tumore et dolore; cervicis oedemate; voce rauca et strangulatoria;

latoria; haemorrhagiis per uterum, anum, vel nares; gangraena oesophagi usque ad ventriculum, et tracheae ad pulmones serpente. Morbus nocte adventante plerumque exacerbatur; et mane, parvo oborto sudore, mitigatur.

6. Neque criticos dies, neque crisim regularem agnoscit angina maligna. Terminatur fauste vel infauste inter secundum et septimum diem. Morbo ad salutem tendente mitigatur calor, disparet cutis color, cuticula disquamatur, expectoratio augetur, pulsus tardescit, tumor cervicis subsidet, ulceraque sanescunt.

7. Vomitus et diarrhoea oriuntur a sanie caustica in ventriculum et intestina delapsa; et, forsitan, levi harum partium sicut cutis inflammatione. Ab eadem putrida sanie odor graveolens. Tumor partium externarum et pustulae, a parte materiae morbificae ad has partes relegata. Haemorrhagiae a sanguine dissoluto et vasis sanie erosis.

8. Distinguitur angina maligna ab angina inflammatoria, vomitu et diarrhoea; tumore erysipeloso; ulceribus gutturis foetidis, et alba crusta occupatis; voce rauca; levi delirio cito superveniente; nulla certa crisi, et symptomatum post evacuationes augmento. Haec robustos, illa infantes et debiles frequentissime petit. Ab aphthis, quia illa solas fauces, hae os quoque crusta albicante, occupant.

9. Fallacissima

9. Fallaciſſima quam maxime eſt hujus morbi natura. Morbus ſemper periculoſior in infantibus quam adultis, quia ſaniem expuere non valent, minuſque auxiliis obediunt. Tumor eryſipelaceus fauſto plerumque omine apparet. Dum nitent oculi, ſpes adeſt; quo tempore hoc deperit, in propinquo mors eſt. Quo magis urget debilitas et deliquium, eo gravior morbus; quo minus, eo mitior. Ulcera alba optima, cinerea pejora, livida et nigra peſſima ſunt. Diarrhoea, rigor, pulſus debilis et parvus, corpus oedematoſum vel cadaveroſum, infauſti ominis ſunt. Exanthemata diſparentia vel livida; ſanguinis praecipue e naribus fluxus, mortem ſubeſſe teſtantur.

10. Ad hujus morbi medelam confert, 1. Ventriculum et glandulas faucium leni vomitorio evacuare. 2. Vires medicamentis cardiacis et leniter diaphoreticis, vino rubro, dietaque reſtaurante et antiſeptico reſocillare. 3. Suſtinere tumorem externarum partium tepido lecti calore, quo optime praevenitur diarrhoea. 4. Medicamentis antiſepticis, inter quae eminet cortex Peruvianus, acidaque mineralia et vegetabilia, dummodo diarrhoeam non excitant. 5. Emplaſtris epiſpaſticis circa cervicem applicatis.

Venaeſectio, purgatio, et medicamenta antiphlogiſtica, experientia teſte, plerumque nocent. Prodeſt nonnunquam venaeſectio in corporibus plethoricis

plethoricis et adultis, praecipue ſi adſit laborioſa reſpiratio.

11. In initio morbi convenit gargarizare partes affectas, medicamentis leniter repellentibus et reſolventibus, qualis infuſio roſarum rubr. cum aceto vel vino rubro aſtringente. Ulceribus albis magis arrident gargariſmata ex detergentibus, qualia mel, tinctura myrrhae, mel Egyptiacum, et aq. calcis. Repetita gargarizatione optime ſeparatur cruſta alba ulceri adhaereſcens, quae nunquam impune avellitur; augetur enim inflammatio et dolor, inſequiturque ſaepe haemorrhagia. Ad haemorrhagiam adſtringentia et ſtyptica applicentur.

SECT. V.

Tuſſis vel catarrhus, et tuſſis convulſiva.

1. TUſſis eſt vehemens et convulſiva expulſio materiae irritantis, in cavum pulmonum depluentis ex arteriolis vel glandulis, quae membranam laryngis, aſperae arteriae, bronchiorum, et veſicularum pulmonalium irrorant.

2. Diſtinguitur, 1. In originariam et ſymptomaticam. 2. In calidam et frigidam; cum priore conjunguntur febrilia ſymptomata, cum poſteriore nulla. 3. In ſiccam, ubi nulla vel pauca;

ca; et humidam, ubi magna adeſt excreatio. 4. In tenuem et acrem catarrhum; tenacem et inertem. Sedulo diſtinguendae et ſeorſim deſcribendae ſunt hae duae ſpecies, utpote diverſae, immo fere oppoſitae. Prior ſtrictos, poſterior laxos adoritur.

3. Acer catarrhus excitatur a frigore ſubito corpori applicato; ventis humidis et frigidis, Borea imprimis et Euro; ſubitis tempeſtatum mutationibus; regelatione; aëre aquoſis particulis repleto; veſtitu humido; pedum refrigerio; alicujus partis, ſed capitis pectoriſque praecipue, denudatione; praegreſſis morbis, viz. variolis, morbillis, &c. Particulis acribus contagioſis in aëre natantibus. Craſſum catarrhum inducit quodcunque nimiam ſeri copiam generat, uti laxa corporis pulmonumque compages; vita ſedentaria; aër nimis humidus et inſularis; ſtudia nocturna; et dieta nimis cruda, frigida, et aquoſa.

4. Harum cauſa proxima eſt irritatio pulmonum a peregrina materia, et motus totius fere corporis convulſivus, ad hujus expulſionem exinde excitatus: omnia enim irritantia, externae pulmonum ſuperficiei applicata, qualia corpora peregrina, aër particulis acribus repletus, tuberculae pulmonum tuſſim excitant. Tuſſis vomitui merito aſſimulatur.

5. Catarrhus tenuis ſeſe manifeſtat horripilatione,

tione, laſſitudine, oculis lachrymas effundentibus et ſaepe inflammatis, vultu rubicundo et inflato, dolorifica capitis gravitate, pectoris anguſtia et dolore, continua faucium titillatione, et ſolicitudine ad tuſſim, praecipue veſpertino tempore, nulla vel pauca aquoſa excreatione, pedum refrigerio, pleniore urinae ſecretione, pulſu citato et plerumque duro, narium pruritu, ſternutatione, membranae Sneiderianae inflammatione et excoriatione, coryza, raucedine, reſpiratione difficili, haemoptoe, phthiſi pulmonali.

In catarrho tenaci reſpiratio laborat, pulmones muco ſpumoſo ſcatent, tuſſis mane praecipue fatigat, et ejicit materiam viſcidam albicantem, vel ſubflavam, vel coeruleam, et in globulos mucoſos adhaereſcentes ſaepe convolutam. Huic ſuperveniunt tubercula pulmonum, ſuppurationes, tabes, phthiſis pulmonalis.

6. Omnia haec ſymptomata facillime deducuntur ab acri tenuique, vel inerti et viſcida materia vellicante pulmones. Patitur membrana Sneideriana ob communicationem cum membrana pulmones intus veſtienti. Omnes thoracis abdominiſque partes externae internaeve in niſum convulſivum trahuntur, quia iiſdem nervis, viz. pari octavo et intercoſtali, ac pulmones, donantur.

7. Tuſſis ſicca plerumque mutatur in humidam; prior poſteriore periculoſior ob inflamma-

tiones, vaſorumque rupturas quae comitantur: hinc melius eſt ſiccam in humidam, quam humidam in ſiccam tranſire; quia poſteriorem ſubſequuntur ſaepe tubercula, febreſque putridae vel hecticae. Tuſſis humida digeſtionem laedit, cahexiamque inducit. Debilibus pulmonibus utraque ſpecies incommoda.

8. Hae diverſae ſpecies diverſam et fere contrariam medelam poſcunt. In catarrho tenui, 1. Pulmones deplendi venaeſectione, ductione alvi leniſſima, mitiſſimiſque diaphoreticis. 2. Acrimonia materiae corrigenda, tenuitas inſpiſſanda, et vaſa pulmonea relaxanda oleis vegetabilium ſine calore expreſſis; ſpermate ceti; decoctis mucilaginoſis, vel ſyrupis ex herbis pectoralibus dictis, viz. tuſſilagine, althaea, ſem. lini; leniter inſpiſſantibus, viz. conſ. roſar. rubrar. balſ. locatell. et lacte aſinino. 3. Motus convulſivi ſedandi opiatis, quae vires egregie inſpiſſantes quoque poſſident. 4. Dieta tenuiſſima, blanda, lactea; cutis bene tecta; quies in initio, et poſtea lenis motus requiruntur.

In catarrho craſſo, 1. Materia avocanda alvi laxitate, empl. epiſpaſticis, et ſonticulis. 2. Attenuanda vomitu, epiſpaſticis, et medicamentis incidentibus et detergentibus, viz. ſapone, ſcillis, allio, gum. ammoniaco, acidis vegetabilibus. 3. Pulmones corroborandi ſuffitu exſiccante, equitatione continuata, frictionibus validis, praecipue

cipue capitis, cum quibusdam calefacientibus, dieta corroborante, et aquis chalybeatis. 4. Opiata, cerevisia, ova, pisces, praecipue saxatiles, nocent ob inspissantem suam naturam.

Tussis convulsiva

9. Est atrocior et magis inveterata tussis species, quae puerilis, convulsiva vel ferina appellatur. In hac specie continua fit per aliquot minuta ob tussim expiratio; et inspiratio quando advenit perficitur sibilo, stertore, et clangore ob glottidis coarctationem. Parum e pulmonibus rejicitur. Ventriculus saepe ad vomendum irritatur. Febris supervenit. Sequuntur exulcerationes, haemoptoe, phthisis.

10. De sede hujus tussis magna inter practicos agitur lis. Quamplurimi e ventriculo oriri autumant, quia pectoralia relaxantia nocent, et stomachica amara prosunt: alii e pulmonibus; nonnulli denique e pharynge et larynge. Prima sententia non firmis stabilitur argumentis; quia oleosa obesse et amara prodesse pulmonibus aeque ac ventriculo possunt; neque per consensum affici videntur pulmones, quia tussi saeviente ventriculus saepe non irritatur. Mihi videtur provenire a majore partium in catarrho communi affectarum irritatione, et majore totius cor-

poris, imprimiſque ventriculi, laxitate et irritabilitate.

11. Tuſſes convulſivae interdum periculoſae ſunt; nonnunquam enim inſtantem ſuffocationem, nonnunquam ſubſequentem phthiſim inducunt. Parum proficiunt medicamenta, donec vires morbi exhauriantur.

12. In medela conducunt, 1. Venaeſectio copioſa. 2. Vomitus debitis intervallis repetitus. 3. Purgatio cum rheo et calomelano. 4. Pectoralia attenuantia. 5. Epiſpaſtica, ad humores acres e pulmonibus evocandos. 6. Specifica a multis decantata, viz. muſcus pixidatus, ſuccus pulegii. 7. Relaxantia et inviſcantia unguenta thoraci externe applicata. 8. Amara et roborantia poſtea aſſumpta, viz. cort. Peruv.

13. Semel mihi contigit videre tuſſim remittentem, quae certa hora adveniebat, per horam unam vel alteram inſtar convulſivae aegrum agitabat, et dein uſque ad eandem horam noctis inſequentis ceſſabat. Omnibus quotquot ſunt pectoralibus incaſſum tentatis, cortice Peruviano, ſpatio viginti quatuor horarum, feliciter profligata fuit.

SECT.

SECT. VI.

Peripneumonia

1. EST inflammatio pulmonum cum febre acuta, respirandi difficultate, tussi et pulsu molli. Medicis quam maxime convenit morbi hujus ideam habere distinctam, quia omnibus fere supervenit acutis ante mortem.

2. Distinguitur, 1. A magnitudine morbi, uno saltem, vel utrisque pulmonum lobis affectis. 2. A specie obstructionis, an sanguinea, vel pituitosa sit: prior peripneumonia vera, posterior notha appellatur. Est et alia quoque species sanguine dissoluto et cito putrescente conjuncta, quae maligna dici debet. De hisce ordine agamus.

3. Peripneumonia inflammatoria corripit praecipue sanguineos; fibras strictas et densum sanguinem habentes; dieta crassa et potu spirituoso utentes; nimis angusta thoracis conformatione praeditos; pinguedinosos; asthmaticos, et senes grassatur maxime hyeme.

4. Causae remotae sunt cohibita perspiratio; valida exercitatio; aër frigidus, densus, gravis in pulmones admissus; ventus ab aquilone spirans; exhalationes acres vel astringentes in aëre voli-

tantes; potus ſpirituoſi; aqua frigida corpori labefacto immiſſa; balnea nimis calida; pleuritis et angina; dolores ſpaſtici et colici; evacuationes ſuppreſſae; exanthemata repulſa; ulcus antiquum conſolidatum; variolae vel morbilli.

5. Cauſa hujus morbi proxima eſt obſtructio inflammatoria in finibus arteriae pulmonalis, aut bronchialis, aut utriuſque ſimul. Hanc certiſſime declarant cauſae remotae, ſymptomata, et cadaverum inſpectiones.

6. Incipit ſenſu frigoris, cui ſuccedit calor; pulſus citatus, magnus, et mollis; reſpiratio laborioſa, celeris et calida; dolor gravativus ſed non acutus; vultus et oculorum rubeſcentia; anxietas; inquietudo, et debilitas; ſanguis emiſſus tenax, et cruſta alba coopertus; nullus ſupra latus affectum decubitus; tuſſis ſicca; vomitus; os et lingua ſicca; dolor in humero; urina rubra et poſt ſeceſſum turbida; vigiliae, et delirium. Tandem ſpiritus trahitur cum ſibilo; pulſus formicat; viſus obſcuratur; mens alienatur; extremitates frigent; ſudor in ſuperioribus partibus obrumpitur, et aeger moritur.

7. Terminatur hic morbus circa criticos dies ſputo primo tenui, dein flavo et ſanguine tincto; ſudoribus largis; haemorrhagia narium; alvo laxata; et urina ſedementum ſubrubrum deponente. Aliquando transfertur materia ad inferiores extremitates, ubi phlegmona, eryſipelas, tumores,

mores, et ulcera producit. Non accedentibus hiſce ſalutaribus criſibus, infauſtas per ſuppurationem, ſcirrhum, vel gangraenam habet.

8. Pulſus in peripneumonia ſemper invenitur mollis; quia pulmo ex pulpoſa et cellulari, non membranacea ſubſtantia, fabricatur; ideoque cum membranoſis arteriarum tunicis nullam habet ſympathiam, neque in ſpaſticas contractiones incitat. Reſpiratio frequens et laborioſa; quia, veſiculis ſanguine congeſto compreſſis, neque aërem ſatis copioſe haurientibus, pulmones crebrioribus conatibus id compenſare nituntur. Veſiculorum latera, a diſtentione vaſorum, ad ſe mutuo affricantur; hinc tuſſis et ſtrepitus. Denegato libero per pulmones tranſitu, ſanguis ſtagnat in corde dextro et venis; hinc anxietas, rubor oculorum et faciei, delirium, vigiliae, et phrenitis.

9. Diſtinguitur clariſſime peripneumonia a pleuritide pulſu pleno et molli, reſpiratione calida, et dolore gravativo ſed non acuto: ab aſthmate, valida febre quae illam ſequitur.

10. Peripneumonia nunquam periculo vacat a ſumma viſceris neceſſitate. Si obſtructio parva, vaſa flexilia, et febris non nimis valida, tunc ſperanda eſt reſolutio. Si magna adſit inflammatio; vaſa valde rigida; ſanguis, venaeſectione quamvis ſaepius repetita, tenax ſemper profluit, et ſternutamenta continua, in ſummo diſcrimine

verſatur

verſatur aeger. Strepitus pulmonum, et oculorum caligo mortem jam imminentem oſtendunt. Utrumque pulmonum inflammatum cita mors plerumque ſequitur. A pleuritide peripneumonia, uti olim dixit Hippocrates, malum. Optime judicatur ſputo albo, flavo, ſtriis ſanguineis miſto, et ſine molimine prodeunte. Sanguis floridus, ſpumoſus, lividus, poroſus inſtar ſpongiae, imminens praenunciat periculum.

Si materia intus abſorpta per urinam, ſedem, vel ſudores ejicitur, fauſtus morbi eventus; ſi vero deponitur in hepar, lienem, vel cerebrum, infauſtus expectandus eſt eventus. Haud meliore nota inſignitur, quando diarrhoea ſputum ſiſtit, vel urina aquoſa devenit. Si ſymptomata ad quartum diem ſine mitigatione permaneant, tunc expectanda ſuppuratio, quae in phthiſim pulmonalem, vel empyema, morbos dubii eventus, degenerat. Si materies inflammatoria in ſcirrhum mutetur, morbus oritur incurabilis; ſi in gangraenam, mors praeſto adeſt.

11. Indicatur in hoc morbo ut, 1. Sanguinis copia et impetus contra vaſa pulmonalia obſtructa minuatur. 2. Vaſa laxentur. 3. Humores diluantur et attenuentur.

Sanguinis copia et impetus minuitur, 1. Larga et repetita venaeſectione. Quando vires ulteriorem venaeſectionem non admittunt, cucurbitulae humeris applicatae proſunt. Sanguis poſt

quartum

quartum vel quintum diem non detrahendus, nisi venaesectionem nova deposcunt symptomata; quia suppurationem jam inceptam impedit. 2. Alvi repetita subductione emollientibus injectionibus. 3. Epispasticis, post debitas evacuationes, applicatis.

Vasa laxantur, 1. Potu multo tepido relaxante. 2. Vaporibus tepidis emollientibus per inspirationem in pulmones attractis. 3. Clysmatibus emollientibus nitrosis. 4. Quiete et calore lecti. 5. Aëre neque nimis calido neque frigido, sed temperato.

Humores attenuantur, 1. Potu multo diluente. 2. Nitro cum paucis camphorae granis. 3. Dieta sorbili tenuissima et attenuante.

12. Ad sputum promovendum conducunt humidi vapores ore hausti, blanda oleosa cum syrupis pectoralibus mixta, decocta emollientia pectoralia, incidentia, et ante omnia emetica, expectoratione subito cessante. Ad inhibendum sanguinis sinceri sputum sectio venae Saphenae, et medicamenta mucilaginosa, leniterque adstringentia.

De empyemate, et ulceribus vel scirrho pulmonum, alibi tractandum est.

Peripneumonia maligna.

1. Peripneumonia maligna priore longe periculosior

culosior est, et scorbuticos nautasque post longam navigationem praecipue adoritur. Adest difficilis respiratio; inquietudo; summa debilitas; animi ad minimum motum deliquium; dolores per totum corpus; pulsus mollis et depressus; profusi sudores; rejectio materiae tenuis, sanioſae, sanguineae, male olentis per sputum; urina ruberrima; sanguis dissolutus, lividus, sine crusta alba; eruptiones rubrae, vel lividae petechiae.

2. Prosunt in hac specie acida vegetabilia vel mineralia; acetum camphoratum; vinum rubrum; dieta nutriens et acescens; et opiata caute administrata ad defluctionem inspissandam. Nocent epispastica, et venaesectio, nisi adsit pulsus firmus; praesertim si repetatur.

Peripneumonia notha.

1. Peripneumonia notha senes, phlegmaticos, debiles, laxos et obesos, tempestatibus praesertim pluviosis, petit. Oritur a sero et lympha nimis viscidis et glutinosis pulmones obstruentibus.

2. Adsunt frigus et calor alternatim; pulsus frequens, debilis, et tenuis; vomitus; anxietas; ponderis sensus in pectore; vertigo; capitis dolor; tussis; sanguis serosus; coarctatio pulmonum; urina pallida; calorque vix auctus.

3. Levatur venaesectione, si vires admittant; cucurbitulis

cucurbitulis humeris applicatis; vomitu; epiſpaſticis; purgantibus leniſſimis; ſi nullum adſit ſputum; et medicamentis attenuantibus, uti hauſtibus ſalinis, camphora, aceto ſcillitico, gummi ammoniaco. Mucilaginoſa, oleoſa, et opiata vitanda ſunt.

SECT. VII.

Pleuritis

1. EST dolor lateris acutus cum acuta febre et reſpiratione laeſa.

2. Diſtinguitur, 1. In diverſas ſpecies ſecundum diverſas pleurae partes affectas. 2. In veram, ubi ſola pleura; et in ſpuriam, ubi muſculi intercoſtales afficiuntur. 3. In humidam, ubi adeſt ſputatio; et ſiccam, ubi abeſt. 4. In idiopathicam et ſymptomaticam.

3. Pleuritis cauſas praediſponentes et remotas antea in peripneumonia deſcriptas, ſuperadditis externis thoracis laeſionibus, pro ſuis agnoſcit.

4. Omnes conſentiunt autores, quod cauſa hujus morbi proxima eſt inflammatio pleurae; ſed magnopere diſſentiunt de parte membranae affecta. Nonnulli externam pulmonum tunicam, vel ſuperficiem, pro ſede pleuritidis habent. Veritatem inter cadaverum ſectiones, ubi ſola invenitur, ſine praeconcepta opinione ſcrutantibus patebit,

patebit, quod pleuritis oritur ſaepe a ſola externa pulmonum ſuperficie, ſaepe a pleura coſtas cingente, ſed ſaepiſſime ab utriſque ſimul inflammatis. Vix enim aliter fieri poteſt, quin pulmones ſinceri, inflammato ſemel latere, in morbi ſocietatem trahantur; quia eadem inveſtiantur membrana, ſaepe lateri adhaereſcant, et coſtis ob dolorem non ſatis elevatis, haud ſatis expanduntur, ideoque inflammantur. Pulmones a pleuritide affectos, teſtatur ſputum a pulmonibus proveniens.

5. Pleuritis incipit rigore et horrore; quos ſequitur calor; ſitis; inquietudo; dolor in latere acutus, pungens, et ad ſpinam vel claviculas vergens; pulſus durus et inſtar chordae ſerratus; decubitus in latere affecto difficilis; tuſſis ſicca dolores exacerbans; urina ruberrima; ſanguis detractus valde adhaereſcens, cruſtaque tenaci obductus; dolor capitis; reſpiratio difficillima; rejectio materiae tenuis, ſanioſae, et ſaepe ſanguineae poſt tertium diem; omniaque peripneumoniae ſymptomata.

Inſpecto cadavere, pleura ſolito craſſior et inflammata, aliquando ſuppurata, nonnunquam ſphacelata, invenitur. Eodem modo plectuntur pulmones.

6. Solvitur morbus circa criticos dies haemorrhagia; ſputo in initio tenui, ſanioſo et ſanguineo, dein albo et craſſo; ſudore; alvo ſoluta; abſceſſibus;

abſceſſibus; et urina ſedimentum lateritium deponente. Si non reſolvitur obſtructio, terminatur ſuppuratione, ſcirrho vel ſphacelo.

7. Dolor ad omoplatas et ſpinam vergit, quia pleura hiſce partibus appropinquat. Pulſus durus et ſerratus provenit a ſpaſtica ſyſtematis arterioſi contractione, excitata per conſenſum inter arteriarum tunicam et pleurae membranam a vehementi dolore. Decubitus in latere affecto vaſa turgida comprimit, augetque inflammationem et dolorem. Reliqua ſymptomata ab adjuncta peripneumonia facillime deducuntur.

8. Pleuritis diſtinguitur a peripneumonia dolore acuto et pulſu duro; a doloribus thoracis, aëre in inteſtinis incarcerato excitatis, febre, aliiſque ſymptomatibus.

9. Reſpiratio facilis et excreatio purulenta, alba, levis, et aequalis, morbi felicem eventum; ſed reſpiratio difficilis, imminens ſuffocatio, urina multa aquoſa, et tuſſis ſicca, elapſo tertio die, infelicem eventum portendunt. Dolor et abſceſſus aurium morbum ſolvunt. Sputum ſubito ceſſans ſine ullo urinae ſedimento, diarrhoea nimis frequens, ſtrepitus pectoris a redundante ſputo, et facies triſtis, ſubitum exitium minitantur. Pleuritis recidivans plerumque lethalis. Si, dolore pectoris ceſſante, febris eadem permaneat cum pulſu debili et intermittente, ſudoribuſque, gangraena jam incepta eſt.

10. Indicatio

10. Indicatio curatoria eſt, 1. Momentum ſanguinis contra vaſa obſtructa diminuere. 2. Vaſa relaxare. 3. Humores diluere.

Momentum ſanguinis diminuitur, 1. Subita, larga, et ſaepius repetita venaeſectione, quoad aegri vires ferre poſſint. 2. Cucurbitulis, ante ſumma inciſa cute, ſupra locum dolentem applicatis. 3. Enemate relaxante et refrigerante. 4. Empl. epiſpaſt. peramplo, ſupra partem affectam applicato, quod certe et cito dolorem levat.

Fibrae relaxantur. 1. Fomentationibus emollientibus, vel ſaccis herbis coctis repletis, et unguentis externe applicatis. 2. Medicamentis oleoſis et potionibus mucilaginoſis interne ſumptis.

Sanguis diluetur, 1. Potu multo tepido diluente. 2. Dieta tenuiſſima ſorbili. 3. Nitro cum pauxillo camphorae exhibito.

11. Ad acutum lateris dolorem, urgente ſumma neceſſitate, anodyna, praemiſſis debitis evacuationibus, caute adminiſtranda ſunt. Expectoratio, uti in peripneumonia, pectoralibus promovenda eſt. Evacuationes tunc nocent.

12. Inflammatio mediaſtini, quod ex binis pleuris componitur, ſeſe prodit dolore acuto inter ſternum et ſpinam vel claviculas, reſpiratione frequenti et celeri, caeteriſque pleuritidis

ſymptomatibus,

ſymptomatibus. Pleuritis dorſalis ab Hippocrate et Araeteo appellatur.

13. Si pericardium, quod ex pleurae duplicatura componitur, inflammatione corripitur, dolor ſentitur profundus; gravitas; anxietas; reſpiratio celerrima et frequens; ſitis ingens; thoracis incendium; palpitatio cordis; pulſus durus et inaequalis; ſyncope.

SECT. VIII.

Paraphrenitis.

1. ARcte cum prioribus connectitur paraphrenitis, quae pro ſua cauſa proxima agnoſcit inflammationem diaphragmatis, vel pleurae ubi diaphragmati connectitur. Dirus hicce et periculoſus morbus ſtipatur acuta febre; dolore acuto inter coſtas ſpurias et imas vertebras; reſpiratione celeri, convulſiva, et ſingultuoſa; inquietudine et anxietate; tuſſi ſicca; ſingultu; delirio; retractione hypochondrii ſub coſtis; et immobilitate abdominis inter reſpirandum. Eodem modo terminatur, et iiſdem cedit remediis, ac pleuritis.

SECT. IX.

Phthisis pulmonalis.

1. PHthisis pulmonalis est tabes corporis, cum febre hectica, tussi, et purulento sputo, ab ulcere pulmonum originem ducens.

2. Distinguitur, 1. In originariam et symptomaticam. 2. In phthisim cum abscessu, vel cum vomica. 3. In acutam et chronicam.

3. Huic morbo maxime obnoxia est aetas inter vigesimum et trigesimum annum; et forma quae gaudet humeris alatis, collo longo teneroque, thorace angusto planoque, statura procera, et molli musculorum compage.

4. Causae procatarcticae sunt acris materia a pulmonibus separata tussimque excitans; fumus arsenici vel carbonum; aër humidus; tubercula; haemoptoë; evacuationes solitae diminutae, vel repressae, uti menstrua, lochia, ulcera, pedum sudatio, haemorrhagiae narium, haemorrhoides, scabies, &c.; animi pathemata inordinata; nimia cibi potusve ingurgitatio; vita sedentaria; corpora extranea in pulmones delapsa; vulnera; morbi diversi, uti scorbutus, scrophula, affectio hysterica, lues, asthma, febres continuae, remittentes, pleuriticae, peripneumonicae, scarlatinae, variolosae,

variolosae, morbillosae; contagium; dispositio haereditaria.

5. Causa proxima est ulceratio pulmonum. Hoc testantur causae remotae et cadaverum inspectiones.

6. Oritur obstructio saepissime in glandulis per pulmonis substantiam disseminatis, vel arteriis bronchialibus: aliquando etiam in minuitissimis arteriae pulmonalis vasculis.

7. Recte separatur hic morbus in duo diversa stadia, inflammationis et suppurationis.

8. Incipit tussi sicca; voce clangosa; calore aucto; dolore; thoracis oppressione, praecipue post motum; sanguinis spumantis et rutili rejectione; sapore salso in ore; appetitu prostrato; siti; cibi nuper assumpti vomitu; tristitia; gravitate in lobo affecto; pulsu celeri, molli, parvo, nonnunquam pleno et duriusculo. Stadium primum inflammatorium.

Postea pus expuitur viride, album, sanguineum, inodorum vel graveolens. Corpus extenuatur, et tempore aestivo alget; febre depascitur, quae vespere advenit, et mane sudoribus colliquativis diffluatur; diarrhoea, lienteria, dysenteria, vel diabete, vexatur; calore, praesertim in volis manuum, uritur; lingua parvis ulceribus scatet: post pastum genae livescunt; ungues curvantur, extenuatis digitis; capilli decidunt; pedes tumescunt; praecordia sursum convelluntur; bron-

chiorum partes abrasae tussiendo rejiciuntur; languent omnes functiones; corpus arescit; oculique subsidunt, et intra cavitates sese recondunt. Tandem deglutitionis laesio, ulceris exsiccatio, frigus corporis et virium defectio, aegrum meliora fata expectantem subito conficiunt. Stadium suppuratorium. In vomica omnia haec accidunt, puris sputu excepto.

9. A vasis pulmonum obstructis et inflammatis oritur tussis sicca, calor, dolor, febris, caeteraque stadii primi symptomata. A vasis et fluidis suppuratis puris sputum. A pure acri putridoque in venas absorpto humores colliquantur, putrescunt, febriles paroxismos excitant, e corpore per cutem, intestina vel renes eliminantur, ad nutritionem inepti redduntur, et in lateralia vasa hydropicos tumores excitantes cedunt. Sanguis rutilus et dissolutus, ad caput post pastum inflatione ventriculi determinatus, in vasa haud antea permeabilia intrat, et ruborem excitat. Tandem ob humorum defectum et putredinem moritur, non sine vana convalescentiae spe a lenitate morbi apparente et quotidiana symptomatum mitigatione.

10. Stadium primum hujus morbi a catarrho dignoscitur, quia hunc defluxio, illam tussis arida et pondus alterius lobi pulmonum in decubitu comitatur. Febris putrida remittens, puris rejectio, tabes, sudores nocturni, et diarrhoea colliquativa,

colliquativa, ſtadium ſecundum ab aliis morbis abunde diſtinguunt.

11. Prognoſim fauſtam efficiunt morbus adhuc recens, pus album, aequale, facileque rejectum, nulla vel ſaltem parva febris, reſpiratio libera, tuſſis mitis, appetitus haud proſtratus, thorax ſatis capax, alvi laxitas, juventus, caeteraque ſymptomata leniſſima; deſperatam, morbus haereditarius, tuſſis ferina, calor hecticus matutino tempore, ſomnus haud vires refocillans, antecedentes morbi febriles, tabeſcentia magna, ſuffocatio, diarrhoea, ſudor colliquativus, pedumque tumores. Acuta periculoſior chronica; originaria ſymptomatica. Autumnus tabidis nocet.

12. Stadium primum curatur, 1. Inflammationem minuendo venaeſectione parca propriis intervallis ſubinde repetita. 2. Veſicatoriis dorſo et lateribus frequenter applicatis. 3. Tenues et acres humores inviſcando oleoſis et incraſſantibus medicamentis. 4. Vomitu, ſi a catarrho frigido ortum duxit. 5. Cauſas morbi ſpecificas, ſive a haemorrhagia, ſcorbuto, ſcrophulo, aſthmate, hypochondriaca aut hyſterica affectione, vel evacuationibus ſuppreſſis, pendent, medicamentis victuque hiſce morbis dicatis tollendo.

Tubercula cruda deobſtruentibus leniſſimis ſumma cum cautela adorienda.

Stadium ſecundum levatur, 1. Abſtergentibus, incraſſantibus, et agglutinantibus. 2. Pus

educendo per vias naturae consentaneas, scilicet per tracheam si vomica sit, per fonticulas vel ulcera, per intestina, vel per renes, natura semper viam praemonstrante. 3. Puris effectus in sanguinem impediendo antisepticis non stimulantibus, incrassantibus, et acidis ex vegetabili vel minerali regno desumptis, diarrhoea haud prohibente. 4. Corpus nutriendo et corroborando dieta eupepta refocillante, lacte praecipue asinino, exercitio moderato, praesertim equitatione, aëre sicco, calido, et non nimis tenui, somno protracto; evitatis venere, animique pathematibus et curis.

13. Ad dysenteriam conveniunt rheum et astringentia; ad tussim et insomnium, pectoralia et opiata; ad sudores nocturnos, corroborantia, stragulaeque paucae; ad nauseam et vomitum, acida. Alia evacuatio promovenda, dummodo alii vires exhaurienti obstemus.

14. Cura praeservatoria nititur venaesectione quater in anno celebrata, dieta regulari, immunitate a catarrho, aëris nocturni evitatione, et exercitio.

15. Quare Anglia caeteris nationibus magis obnoxia sit huic morbo?

SECT.

SECT. X.

Tabes aliae purulentae.

1. EMpyema eſt collectio puris inter pulmones et pleuram; cognoſcitur febre hectica, reſpiratione difficili, tuſſi, ſputu, materiae fluctuatione, gravitate et moleſtiae ſenſu a ſitu corporis mutato, caeteriſque inflammationis praegreſſae et ſuppurationis ſignis.

Tabes a vomica hepatis patet dolore uſque ad humerum porrecto, tumore et dolore ad tactum in loco affecto, nauſea, vomitu, diarrhoea.

2. Tabes ab abſceſſu ventriculi ſeſe monſtrat foetidis eructationibus, tuſſi ſine expectoratione, vomitu purulentae materiae, deliquio, ſudoribus, dolore vel tempore deglutitionis, vel poſtquam perficitur: inteſtinorum, a ſitu et ſeparatione puris per ſedem: omenti vel meſenterii, tenſione, gravitate, dolore, in hoc profundiore quam in illo: renum, ſenſu ponderis in parte affecta, decubitu in ventrem, urina purulenta et dyſuria: uteri, a dolore lumborum et excretione puris e vagina.

3. Hae tabes curantur ulcerum abſterſione et agglutinatione, naturae in ſuis conatibus opitulatione, ſanguinis contra puris effectus munitio-

ne, et, quando fieri poteſt, eductione per aperturam arte factam.

SECT. XI.

Inflammatio ventriculi.

1. HAnc excitant potio frigida, liquores fermentati, venena corroſiva, acria emetica vel purgantia; retropulſio variolarum, purpureae, podagrae; humores biliosi; corpora dura deglutita.

2. Cognoſcitur dolore acuto in praecordiis; calore interno ventriculi; pulſu ſubduro, contracto, et frequenti; ſumma anxietate; vomitu continuo dolorifico; ſiti magna; vigiliis; inquietudine; corporis jactatione; extremorum refrigeratione; ſpiratione difficili; ſummo dolore a ructu, et poſt aſſumpta praecipue acria medicamenta; lipothymia. Inſpectio cadaverum ventriculum ſphacelatum oſtendit.

3. Funeſtum denunciat eventum irrequieta corporis jactatio, potus ingeſtus rurſum ejectus, ſingultus, animus deficiens, pulſus intermittens, mens emota, artuumque convulſiones.

4. Curatur venaeſectione, quoad vires ferre poſſunt; cucurbitulis ſupra locum dolentem applicatis; fotibus et cataplaſmatibus externe applicatis;

plicatis; empl. epiſpaſt. part. affect. applicat.; clyſmatibus emollientibus ſaepius repetitis; et nitro cum pauxillo camphorae interne ſumpto.

SECT. XII.

Dyſenteria, diarrhoea et lienteria.

1. DYſenteria eſt alvi fluxus cum perpetua adſellandi cupiditate, vehementibus torminibus, et plerumque ſanguinis dejectione.

2. Diſtinguitur, 1. In ſporadicam et epidemicam. 2. In mitem et malignam; poſteriorem notant ſumma virium jactura, exanthemata, &c. 3. In rubram et albam; in illa foeces ſanguine, in hac pure et ſanie tinctae ſunt.

3. Dyſenteria praecipue corripiuntur, qui antea hoc morbo laboraverunt, vel ventriculi et inteſtinorum debilitate plectuntur; qui bilioſis primarum viarum ſordibus infeſtantur; qui prava dieta, fructibus immaturis, et liquoribus fermenteſcentibus uſi fuerunt; et qui frigido humidoque nocturno aëri, ſolis fervorem antea perpeſſi, expoſiti ſunt. Hinc morbus vere caſtrenſis. Dyſenteria epidemica omnes indiſcriminatim adoritur. Saevit praecipue aeſtate et autumno quando calidam tempeſtatem et meridianum

dianum ſolem ſubſequuntur humidae frigidaeque noctes.

4. An cauſa proxima eſt acris et cauſtica materia putridae naturae? Huic fidem faciunt haec argumenta: Apparet tempeſtatibus putredini maxime accommodatis, et varia inſecta progignentibus; ſcorbuticos praecipue adoritur; a vaporibus ſanguinis putreſcentis concitatur; partes praecipue affectas emollit et corrumpit; aërem in magna copia gignit; et foeces ſumme putridas reddit.

5. Contagio propagatur dyſenteria; quia excitatur ab odore foecum dyſentericorum, ab alvi in eadem ſella exoneratione, et a lacte nutricum hoc morbo laborantium. Hinc ſaevit inter nutrices, quae aegris in noſocomiis, praecipue caſtrenſibus, ancillantur.

6. Sedes dyſenteriae variat in variis morbi ſtadiis. In morbi initio afficiuntur praecipue ventriculus et inteſtina tenuia, uti patet a nauſea, vomitu, cardialgia, &c. Poſtea omnis morbi vis exercetur in inteſtina craſſa, et ſpeciatim in rectum, uti teſtantur dolor, teneſmus, et ſalutares clyſmatum effectus.

7. Conqueruntur per aliquot dies de appetitu proſtrato, ventris tumore, corporis laſſitudine et horripilatione. Inſequitur pulſus citatus; ſitis; calor vehemens et acris; inquietudo; nauſea et vomitus; cardialgia; anxietates praecordiorum;

diorum; atrociſſima imi ventris tormina, quae ſequitur frequens ſed non copioſa alvi dejectio, foeces ſanguineae, ſanioſae, mucoſae, ſpumeſcentes, pelliculis et filamentis ſaepe mixtae; borborigmi et flatus; continua deſidendi cupiditas, quae teneſmus appellatur; ſtranguria; ani procidentia; virium proſtratio ſumma; ardor interiorum, frigeſcentibus extremitatibus; ſingultus; ſudor frigidus. Quando ad extrema ventum eſt, dolor ſemel ceſſat, foeces involuntarie elabuntur et egregie foetent, ſitis perit, pulſus fit debilis, et mors aegrum, meliora expectantem fata, ſubito tollit.

Sectio cadaverum in conſpectum adducunt inteſtina, praecipue colon et rectum, praeternaturaliter craſſa, aëre diſtenta, inflammata, exulcerata, et gangraenoſa; tunicam villoſam abraſam; bilem poraceam, viſcidam, et nigri coloris; ſanguinemque nigerrimum.

8. Nullam certam criſim, neque certas periodos habet. Finitur plerumque inter ſeptimum et decimum quartum diem.

9. Particulae acres dyſentericae in cavum inteſtinorum delapſae motum periſtalticum accelerant; hinc crebriores, ſed minus copioſae, dejectiones. Sua acrimonia ſpaſmos et inflammationes excitant; unde tormina, teneſmus, ſanguis. Flatus et borborigmi a fermentatione putredinoſa aërem generante. Imbecillitas et extremitatum

tremitatum frigus a ſaevis inteſtinorum doloribus et tanto humorum diſpendio. Subita doloris evaneſcentia, a gangraena incepta.

10. Dyſenteria diſtinguitur a diarrhoea torminibus ſeverioribus, et ſanguine ſaepiſſime ſed non ſemper excreto: a cholera morbo, rariori vomitu, et foecibus ejectis.

11. Semper incerti ominis eſt hic morbus. Si invadit ſcorbuticos, tabidos, pueros, ſenes, inteſtina debilia habentes, ſed praecipue gravidas, periculoſus eſt. Mali etiam morbi teſtimonia ſunt vomitus frequentes et ſingultus. Sudores aequaliter per totum corpus diffuſi, et urina ſedimentum largum deponens proſunt. Convulſiones, foecum graveolentia, carunculae vel pelliculae ab inteſtinis abraſae, ani ſtrictura ut nullus pateat clyſmatibus aditus, ſummum minitantur periculum. Actum eſt, quando, pulſu celeri ac debili exiſtente, extremitates frigent, dolor ſubito diſparet, fauces inflammatoriae vel paralyticae fiunt, et mens alienatur. Inducit ſaepe lienteriam, hydropem, et tabem.

12. Ut curetur dyſenteria, 1. Expellanda eſt materia peccans, vel ad alia loca derivanda. 2. Demulcenda eſt ejus acrimonia: et, 3. Motus inteſtinorum effreni, a materia morbifica excitati, conſopiendi.

Ad expulſionem vel derivationem materiae ad loca magis ſecura, conveniunt, 1. Venaeſectio,

plethora

plethora et inflammatione menſuranda. In dyſenteria maligna ſemel vel ad ſummum bis venam ſecare ſat eſt. 2. Rad. ipecacuan. ad ventriculum exonerandum; vel parca doſi, viz. ad grana quinque, ſexta quaque hora exhibita; optimos praeſtat effectus hoc modo aſſumpta; ſed pauci nauſeam continuam perferre volunt: vel parciore adhuc doſi ad granum unum, ſexta quaque hora, quod ſine nauſea ſaluberrimos effectus habet. 3. Rheum unoquoque die doſi ſolita majore. 4. Vitrum antimonii ceratum, additis opio et theriaca, ad mitigandos ejus effectus effrenos, et materiam morbificam ab inteſtinis ad cutem determinandam.

Acrimonia materiae demulcetur, 1. Potu mucoſo et incraſſante, uti decocto oryzae, vel pulli: oleo ſoluto. 2. Clyſmatibus emollientibus ex herbis mucilaginoſis, amylo, oleo, &c. 3. Acidis, in dyſenteria maligna, ſumma cum cautela, ne inteſtina nimis irritent, exhibitis. 4. Thea florum chamaemeli, quae putredini optime reſiſtit. 5. Cortice Peruviano, ſummo antiſeptico.

Motus effreni conſopiuntur, 1. Opio, poſt debitas primarum viarum evacuationes, certis intervallis, et forma liquida potius quam ſolida propinato. 2. Sub finem morbi adſtringentibus, uti vino rubro, extracto ligni Campechenſis, &c. 3. In convaleſcentia, ad reſtituendam

fibrarum

fibrarum inteſtinalium firmitatem, prodeſt aq. calcis, cortex Peruvianus cum amaris, et equitatio, qua nulla res magis inteſtina confirmat.

Paulatim firmari inteſtina debent, ne adſtringentibus fortioribus admotis, vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. In hoc morbo quoque neceſſarium eſt, non quoties libet, deſidere, ſed quoties neceſſe eſt; ut haec ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.

13. Ad dolorem ventris, juſcula emollientia, ſperma ceti, fomentationes et epiſpaſtica loco affecto applicata. Ad teneſmum, clyſmata oleoſa, et folia tuſſilaginis ad anum detergendum. Ad ulcera interna, balſamum Locatelli ſurſum et deorſum exhibitum.

14. In conſtitutionibus aëris epidemicis effugiat ſanus conſortium cum aegris, et praecipue cloacam vel ſellam ubi alvum exonerant; pluviam; aërem humidum, vel nocturnum; et cutem bene tectam cuſtodiat.

15. Quando alvi profluvium adeſt cum parva vel nulla febre, nulla ſanguinis rejectione, nulliſque gravioribus torminibus, tunc diarrhoea appellatur. Iiſdem remediis, ſed multo facilius quam dyſenteria, cedit. Si parciores dejectiones, et appetitus adhuc illaeſus ſint, diarrhoea ſaepe pro valetudine eſt, neque cohiberi debet.

6. Lienteria eſt alvi fluxus, in quo alimenta inconfecta

inconfecta et parum immutata redduntur. Quando excernitur chylosa materia, caeliaca appellatur. Medicamentis stomachicis, amaris, roborantibus, et equitatione, curatur.

SECT. XIII.

Colicus dolor

1. EST acutus intestinorum dolor cum alvo constipata.

2. Distinguitur, 1. In colicam flatulentam, et spasmodicam. 2. In originariam et symptomaticam. 3. In acutam et chronicam. 4. In febrilem et non febrilem.

3. Causae remotae sunt pituita vitrea; cibi exsucci, foeces aridae, vel concretiones lapideae viam intestinalem obstruentes; bilis acris magna copia secreta; collectio sanguinis in vasis intestinorum; lac acescens; vermes; retentio lochiorum; frigus, vel venter fasciis non ligatus in puerperiis; indoles scorbutica, vel arthritica; particulae plumbeae, fumi saturnini, vel aqua mineram plumbi lavans; venena; diarrhoea, vel dysenteria adstringentibus nimis cito suppressa; calculi per ureterem, vel ductum cholidochum transeuntes; intestinorum tumores, vel glandularum mesenterii abscessus.

4. A

4. A ſpaſtica inteſtinorum contractione oritur hic morbus. Eluceſcit a ſymptomatibus, cadaverum inſpectione, et experimentis in vivis animalibus inſtitutis.

5. Stipatur parva febre; dolore acuto abdomen quaſi terebrante; difficili reſpiratione; cardialgia; nauſea, vel vomitu materiae bilioſae, vel pituitoſae; alvo fortiter conſtipata; rugitu; appetitu et concoctione laeſis; ſiti; urina bilioſa et ſaepe obſtructa; hernia umbilicali; tenſione et inflatione abdominis; ſingultu; ſyncope; delirio; convulſionibus; inteſtinorum diſruptione, vel ſphacelo.

6. Terminatur paralyſi, ileo, profuſis ſudoribus, haemorrhagia narium, haemorrhoidali fluxu, diarrhoea, macularum ſcorbuticarum irruptionibus, arthritide.

7. Diagnoſis inter colicum et nephriticum dolorem oritur a diverſitate loci affecti, exacerbatione prioris et non poſterioris poſt paſtum, majore alvi conſtipatione, et urina ſaturatioris coloris in priore quam in poſteriore.

8. Prognoſis eſt proſperior ſi dolor remittit, neque uno loco infigitur; e contrario periculoſa, ſi in una parte ſine remiſſione ſaevit, praecipue accedente pervigilio, ſingultu, delirio, ſyncope, ſudoribus frigidis. Colica inflammatoria vel epidemica peſſima eſt.

9. Medela

9. Medela requirit, 1. Relaxationem ſpaſmorum. 2. Evacuationem materiae irritantis.

Relaxatio fit, 1. Venaeſectione, ſi adſit inflammatio. 2. Clyſmatibus emollientibus. 3. Fomentationibus et cataplaſmatibus calidis toti ventri impoſitis; ſemicupio; cucurbitulis ſine ferro ventri admotis; compreſſione abdominis. 4. Opiatis poſt materiae irritantis ejectionem.

Materia irritans evacuatur diverſis modis ſecundum ejus naturam; bilis acris, purgantibus; flatus, medicamentis ſpiritum digerentibus; particulae ſcorbuticae vel arthriticae, diaphoreſi; foeces induratae, laxantibus; et venena, medicamentis oleoſis. Dieta parca, tenuis, et lubricans convenit.

10. Recidivam impediunt equitatio, animus ſerenus, cibus haud flatulentus, et venter pedeſque a frigore et humiditate muniti.

11. Eſt ſpecies hujus morbi quae colica hyſterica vocatur. Stipatur acuto dolore in regione ventriculi, vomitu materiae bilioſae, pulſu celeri debilique, difficili reſpiratione, dejectione ſumma, et aliquando delirio. Tollitur opiatis.

SECT. XIV.

Cholera morbus

1. EST ejectio materiae bilioſae ſuperne et inferne.

2. Cauſae remotae ſunt alimenta facillime in rancidam vel acidam naturam abeuntia, uti caro ſuilla, pinguedo, alimenta oleo vel butyro frixa, dulcia, cucumeres, melones, uva, ceraſi, &c. medicamenta purgantia acriora; venena; ira vehemens; bilis acris.

3. Cauſa proxima eſt convulſiva contractio inteſtinorum tenuium, praecipue duodeni, ab irritatione proveniens.

4. Praecedit nidoroſa eructatio; cardialgia; morſus, dolorque ventriculi et inteſtinorum. Tunc aeger corripitur ejectione ex alvo et ventriculo materiae bilioſae viridis, flavae, nigrae; diſtenſione abdominis; pulſu celeri, debili et inaequali; brachiorum artuumque contractione; dolore acuto ſupra umbilicum; retentione urinae; frigidis ſudoribus; ſingultu; palpitatione; convulſionibus.

5. Prognoſis fauſta, ſi, ceſſante vomitu, ſequitur ſomnus, vel morbus tranſgreditur ſeptimum diem; infauſta, ſi aeger debilis, vel anno-

ſus

ſus, materia acerrima vel foetens, aut vomitus ceſſet, durantibus caeteris ſymptomatibus. Neque tamen ulli morbo minori momento ſuccurritur.

6. Curatur, 1. Diluendo et expellendo humores acres potu multo aquae tepidae, vel juſculi tenuioris, et clyſmatibus oleoſis. 2. Motus convulſivos poſtea compeſcendo antiſpaſmodicis, opiatis, et unguentis nervinis externe applicatis. 3. Vino, cum diſcuſſa cruditas eſt, vires reſtituendo. 4. Tonum ventriculi et inteſtinorum reſtaurando medicamentis roborantibus, dieta exſiccante, exercitio.

SECT. XV.

Iliaca paſſio, ileus, ſeu volvulus

1. EST dolor acutus, inflammatio, et obſtructio inteſtinorum tenuium, ita ut, alvo fortiter obſtipata, cibus vel ſtercus, vel utraque, per os redduntur.

2. Diſtinguitur, 1. In originariam et ſymptomaticam. 2. In veram et notham.

3. Cauſae remotae ſunt hernia inguinalis; irritatio vel eroſio a vermibus, medicamentis ſtimulantibus, venenis vel acri bili; nimis longa foecum retentio; ingeſta exſucca vel acerba, uti

panis ficcus, nuces castaneae, ossa, fructus immaturi, acerbi; intus-susceptio unius partis intestini intra aliam; tumores et scirrhi intestinorum partiumque vicinarum; recti coalescentia.

4. Causa proxima est inversus intestinorum motus peristalticus ab obturatione viscerum originem ducens: hoc patet a symptomatibus et corporum inspectione.

5. Post alvi suppressionem aeger corripitur acuto dolore et distentione prope umbilicum; retentione obstinata foecum et flatus; eructationibus; nausea; vomitu primo materiae biliosae vel pituitosae, dein stercorosae, postremo clysmatum injectorum; respirationis difficultate; urinae obstructione; imbecillitate; pulsu citato et contracto; siti. Tandem, cessante dolore, lipothymiae, singultus, delirium, convulsiones, mors.

6. Prognosis incerta in tam acuto morbo. Minus periculi a dolore vago, vomitu per intervalla recurrente, et laxantibus clysmatibus per anum ejectis; majus ab inflammatione acuta et foecibus male olentibus vel nigris ad os ascendentibus. Debilitas summa, foetidus spiritus, pulsus debilis, delirium, convulsio, mortem instantem denunciat. Juventus symptomata tam saeva quam senectus non habet.

7. Inflammatio minuenda est, 1. Repetita venaesectione, praecipue in talo; cucurbitulis abdomini, et hirudinibus venis haemorrhoidalibus applicatis.

applicatis. 2. Emollientibus et oleosis ptisanis; clysmatibus, et fomentationibus externis. 3. Medicamentis antiphlogisticis, viz. sal nitri cum camphora. 4. Vomitus et doloris diminutione, per antiemetica et opiata, parca manu assumpta.

Obstructio canalis intestinalis aperienda, 1. Purgantibus lenissimis, et si haec nihil proficiunt, acrioribus. 2. Suppositoriis vel clysmatibus ex irritantibus medicamentis, vel fumo tabaci. 3. Crudo mercurio ad plurimas uncias assumpto. 4. Attentione sedula ad causas remotas particulares, sive herniam, sive tumorem, sive corpora dura.

8. Post alia incassum tentata, aqua frigida subito in pedes, crura, femora, et abdomen nuda ingesta, alvum saepe feliciter solvit, aegrumque ex orci faucibus servavit; multa enim in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.

9. Dieta tenuissima haud inflans, quies, pathematum et frigoris evitatio, et aegrotanti et convalescenti conveniunt. Postea quoque vitare oportet cruditates, frigus, jactationem, ambulationem, caeterosque corporis motus; nam facile, nisi bene jam confirmatis intestinis, id malum redire consuevit.

SECT. XVI.

Hepatitis.

1. MOrbus, qui a hepate inflammato provenit, hepatitis appellatur.

2. Praeter causas remotas, quae omnibus febribus communes sunt, has peculiares habet, viz. omenti ingentem obesitatem; succussiones ab emeticis nimis violentas; hepatis scirrhum; subitum frigus ab aëre vel frigidis potionibus, jecori antea calefacto applicatum; sanguinem tenacissimum, atrabilarium ab antiquis appellatum.

3. Distinguitur, 1. In genuinam et spuriam; in priore afficitur hepatis substantia; in posteriore, peritonaeum vestiens hepar vel costas spurias. 2. Secundum partem hepatis affectam, scil. concavam et infimam, vel convexam et superiorem: hae duae species diversae diversa habent symptomata.

4. Obstructionem in finibus arteriae hepaticae vel venae portarum pro sua causa proxima agnoscit.

5. Inflammatio concavae partis hepatis hisce stipatur symptomatibus; dolore obtuso, gravativo, et fixo in dextro hypochondrio; ardore; anxietate circa praecordia; pulsu primis diebus fe-

re

re naturaliter ordinato, neque ſequentibus magnopere concitato; inflatione et tenſione dextri hypochondrii; cibi faſtidio; nauſea et vomitu; ſiti magna; lingua ſcabra et nigra; cardialgia; facie pallidi, citrini vel icterici coloris; ſingultu moleſtiſſimo.

Inflammationem convexae partis comitatur dolor magis acutus in reſpirando, et ad jugulum vel humerum extendens; pulſus citatior; tuſſis ſicca; moleſtus in ſiniſtro latere decubitus; ſingultus; vomitus, et magna debilitas.

6. Morbus terminatur quarto, ſeptimo, vel undecimo die per alvi ſolutionem, urinam vel ſudores; vel poſtea ſuppuratur, vel in ſchirrum mutatur.

7. Dolor tantum obtuſus gravativus, et pulſus parum a naturali alienus, in inflammatione concavae partis hepatis, hujus viſceris inſenſibilitati debentur. Anxietas, vomitus, cardialgia a nervorum conſenſu, et irritatione vaſorum ventriculi, ſanguine repletorum, ob obſtaculum ad venae portarum extremitates natum. Color ictericus ab impedita bilis ſecretione et excretione. Singultus ab affectis per conſenſum nervis diaphragmatis, quod cum hepate connectitur.

Sed convexae partis inflammatio ſeveriora producit ſymptomata, quia hepatis ſuperior pars diaphragmati adhaeret, quod acutiore ſenſatione praeditum eſt. Humerus ramos ex eodem nervorum pari ſortitur, ergo per conſenſum afficitur.

tur. Aeger difficillime in ſiniſtro latere cubat, quia in tali ſitu ligamenta inflammata et tenſa magis tenduntur.

8. Dignoſcitur a pleuritide lenitate doloris, ſitu intra coſtas ſpurias, pulſu non duro, et difficili in ſiniſtro latere decubitu; ab hyſtericis et hypochondriacis ſymptomatibus, febre comitante.

9. Si recte tractetur, raro periculoſus eſt morbus. Eventum funeſtum praedicunt ſingultus perpetuus, febris valida, ſitis inextinguibilis, ſubitus extremorum pallor et frigiditas, urente corpore. Suppuratio hepatis, ni tumor extrorſum vertitur, ſaepiſſime aegrum e medio tollit. Per longam vitam ſine magno incommodo perfertur ſchirrus, ſi debitum adhibeatur vitae regimen, et tumor medicamentis aperientibus non irritetur; hiſce enim in cancrum ſaepe degenerat.

10. Ad morbi medelam confert, 1. Venaeſectio copioſa, non obſtantibus arteriis fere naturaliter ordinatis: ſi poſtponatur haec operatio, donec pulſus indicat, nimis tarde advenit. 2. Alvum laxantia. 3. Clyſmata attenuantia et antiphlogiſtica, quae abſorpta venis meſeraicis recte ad hepar deferuntur. 4. Fomentationes et cataplaſmata diſcutientia hypochondrio externe applicata. 5. Medicamenta attenuantia et antiphlogiſtica interne ſumpta. 6. Emplaſtra epiſpaſtica ſupra locum dolentem applicata.

11. Frigus,

11. Frigus, omnia frigida, labor, vehemens motus, ira, trepidatio, pondus, jactus, in hoc morbo inimica ſunt.

SECT. XVII.

Nephritis.

1. NEphritis eſt inflammatio renum cum ardore et dolore lumborum, difficilique mictu.

2. Cauſae remotae ſunt vulnera et contuſiones renum; calculi; cibi flatum in colo generantes; quodcunque ſanguinem ad renes determinat, uti diuretica calida; concuſſio in rheda, vel equitatio; plethora; evacuationes ſuppreſſae; ſpaſmodicae renum contractiones.

3. Cauſa proxima eſt arteriolarum renalium obſtructio, uti patet cadaverum inſpectione.

4. Adſunt calor, dolor, et nonnunquam rubor in regione renum; ſtupor cruris ejuſdem lateris; febris; urina primo pallida, dein rubra; difficilis mictio; doloroſus inceſſus, vel erectio corporis; facilior in latus infirmum, quam in ſanum, decubitus; frigus extremitatum; nauſea et vomitus; anxietas et ſpirandi difficultas; ſuppuratio vel gangraena partis.

5. A tumefacti renis compreſſione oritur rubedo

bedo cutis et ſtupor cruris; a compreſſis tubulis uriniferis, palliditas et diminutio urinae; a partibus tenſis et inflammatis, doloroſa corporis erectio; a communicatione nervorum, vomitus et anxietas.

6. Colicus dolor diſtinguitur a nephritide, quia ille magis ad anteriora ſitus eſt, et difficultas urinae tarde per conſenſum, ſi unquam, advenit.

7. Morbus periculoſus, praecipue ſi, deficiente urina, ſupervenit delirium. Urina limpida pejor ſaturata. Haemorrhoides ſupervenientes morbum ſolvunt. Pus, per vias urinae ſecretum, optatiſſimum efficit ſuppurationis ſtatum; per ſedem, pejorem; ſi in abdomen depluit, peſſimum.

8. Obſtructa vaſa aperienda venaeſectione; ſanguiſugis ano applicatis; clyſmatibus emollientibus ſaepe injectis; fomentationibus loco affecto applicatis; potu multo diluente; diaphoreticis leniſſimis, et dieta tenui.

9. Si renes ulcerantur, proſunt balſamica, vulneraria, et aquae chalybeatae; evitatis acribus, acidis, ſalſis, et molli decubitu ſupra dorſum.

SECT.

SECT. XVIII.

Stranguria.

1. STranguria eſt excretio urinae guttatim facta, cum continuo ad mingendum ſtimulo. Quando urina omnino ſupprimitur, iſchuria appellatur.

2. Diſtinguitur in acutam, quae ab inflammatione provenit; et chronicam, quae nulla inflammatione ſtipatur.

3. Cauſae remotae ſunt cantharides interne ſumptae, vel externe applicatae; ſcorbutica fluidorum diatheſis; acre pus ad veſicam delatum a rene, aliiſve viſceribus ulceratis; expoſitio podicis ad aërem frigidum, praecipue operantibus catharticis; inflammatio urethrae ab ulceribus venereis, vel injectionibus acribus; inflammatio inteſtini recti; haemorrhoidalis fluxus ſuppreſſio.

4. Cauſa proxima acuta eſt inflammatio ſphincteris veſicae, vel muci eum defendentis abraſio, uti docent cauſae remotae cadaverumque inſpectiones.

5. In ſtranguria guttatim prodit urina cum dolore, et continuo ad veſicam exonerandam niſu: poſt parvam excretionem ſtimulus recedit, iterumque paulo poſt revertitur. Febris accenditur;

ditur; cutis calet; abdomen tumet; perinaeum et penis rigeſcunt; alvus obſtipatur; oritur ſaepe teneſmus; dolor in dorſo et anteriore abdominis parte ſentitur; anxietas praecordiorum et vomitus aliquando adſunt. Recidivus ſaepiſſime eſt hic morbus.

6. Diagnoſis calculi veſicae a ſtranguria innititur immunitati prioris plerumque a febre, dolori in glande penis, mucoſae urinae, et catheteri.

7. Morbus haud periculoſus eſt. Judicatur reſolutione, ſuppuratione, et gangraena, quarum poſterior rariſſime accedit.

8. Inflammatio minuenda et acrimonia urinae inviſcanda. Perficiuntur venaeſectione; alvi ſubductione miti; clyſmatibus emollientibus; fomentationibus et vapore partibus affectis applicatis; potu mucilaginoſo, et calore. Equitatio, frigus, aciditas, et vinum rubrum evitari debent.

9. Excretionem urinae impedire quoque poſſunt paralyſis veſicae; haemorrhoidum tumor; foeces induratae; calculus veſicae; caruncula urethrae; tumores proſtatarum; hyſterica paſſio; ulcera; ſchirri et cancri veſicae; graviditas. Hae cauſae ſuis remediis tolli debent.

10. Quando ſtranguriam comitatur calor urinae, dyſuria appellatur. Excitatur vel ab urina acri, vel inflammatione urethrae, et curatur iiſdem, ac ſtranguria, remediis.

PARS

PARS QUARTA.

De morbis qui primo in toto corpore, dein in parte ſunt.

SECT. I.

De hiſce morbis in genere.

1. PECULIAREM merentur conſiderationem morbi febriles, qui primo totis humoribus inhaerent, dein poſtea magno ex parte relegantur ad partes praecipue exteriores. Inter quos eminent febres eruptivae dictae, quales miliares, ſcarlatinae, eryſipelas, variolae et morbilli. Multae praeterea ſunt quae neque certis inſigniuntur nominibus, neque fideli adhuc innoteſcunt deſcriptione. Hae maxime vernis temporibus oriuntur.

2. Haec ſecretio ad partes exteriores, utpote naturalis et ſalutaris, arte leniter promovenda, et ſecundum ſalutiferum naturae ductum dirigenda eſt. Hinc medici eſt, horum morborum ſymptomata et medelam, a praecedentibus plane diverſam, bene perſpecta habere.

SECT.

SECT. II.

Arthritis.

1. ARthritis eſt dolor circa juncturas oſſium, praecipue pedis, vere et autumno maxime revertens.

2. Diſtinctio, 1. In haereditariam et acquiſitam. 2. In podagram, chiragram, gonagram, &c. ſecundum partes affectas. 3. In regularem et irregularem.

3. Sexum virilem, ab ακμη declinantem; raro foeminas, niſi viragines, vel tempus menſtruale praetergreſſas, aut pueros, aut caſtratos; ingenia peracuta; cupidoſque literarum vitam ſedentariam agentes, et in ſeram noctem vigilantes, tentat.

4. Victus lautus, plenus, opiparus: pocula nimia nocturna, praecipue acida vel auſtera: exercitia ſolita omiſſa: habitus corporis luxurians, humidus, laxus: venus immodica in juventute: a liquoribus deſtillatis ad tenues nimis cita tranſitio: evacuationes ſuppreſſae: labes haereditaria. Hae ſunt cauſae remotae.

5. Paroxyſmum accelerant pedum praecipue ſudantium ſubita frigori expoſitio, vel a calceis compreſſio; purgatio alvi nimia; defatigatio; animi

animi pathemata; aër humidus, et a ponderoſo ad levem ſubitae mutationes; lucubratio; perſpiratio ſuppreſſa; cibus duſpeptos; pergraecatio; cauſaeque remotae antedictae.

6. An cauſa proxima humorum viſcoſitas et acrimonia peculiaris a perſpirabili materia, ob cutis vitium, gradatim retenta? Ita videtur; quia ſenes, ſedentarios, et ganeae deditos, maxime infeſtat; quia hyeme, non aeſtate, ſeſe monſtrat; quia paroxyſmus a ſuſcepto frigore acceleratur; quia rheumatiſmi affinis eſt; quia denſum et inflammatum ſanguinis ſtatum, aliaque febrilia ſymptomata ſibi aſſociat; et quia criſis et medela per perſpirationem auctam perficitur. Haec cauſa ſociam ſibi adjungere videtur imbecillitatem primarum viarum, imprimis ventriculi.

7. Sedes eſt in minimis vaſis tendinum, ligamentorum, membranarum, perioſtei, articulorum, quae longius a corde diſtant, et maxime comprimuntur; ergo in pede.

8. Paroxyſmum praegrediuntur laſſitudo; torpor; ſpirituum dejectio; apepſia; nauſea; ructus; corpus flatu diſtentum; alvus conſtipata; pedum ſudor ceſſans; varices.

Ingruit paroxyſmus cum dolore ſaeviente, plerumque in pollice pedis; ſenſatione quaſi aquae frigidae affuſae; horrore; febre ejuſque ſymptomatibus. Dolor augmentatur oſſa tarſi metatarſique

tarſique occupans; vel lancinans eſt, vel mordens, vel pungens, vel urens, vel coarctans, vel gravativus. Elapſa nucthemera, pars rubeſcit, tumeſcit; cutis parvo madore humectatur; tunc dolor diminuitur et febris ceſſat. Mane ſemper ſe melius habet, veſpere pejus, paroxyſmulo tunc adveniente. Mens irritabilis. Urina primis diebus colorata, ſedimentum lateritium vel arenoſum deponit. Appetitus proſtratus, alvus adſtricta et ſenſatio partis dolorifica totum comitatur paroxyſmum. Eo citius vel tardius ſolvitur paroxyſmus, quo fortior vel debilior natura. Tunc temporis inter digitos pedis pruritus intolerabilis ſentitur et cutis deſquamatur: Articulorum quaſi fricatio et ariditas: Intermiſſio.

Morbo, progreſſu temporis, altius radices agente, manus, carpus, cubitus, genua, aliaque loca corripiuntur. Tophi gignuntur, articulique diſtorti motu privantur. Diſruptis ligamentis, tota ibi perit ſenſatio. Nunc per totum fere annum protrahuntur paroxyſmi. Urina multa, pellucida, ſine ſedimento. Infeſtatur haemorrhoidibus; putridis eructationibus; appetitu deleto; ſpaſmis; calculo.

Viribus proſtratis, materia podagrica nunc in caput detonat, unde apoplexia, lethargus, paralyſis, delirium, ſopor, tremores, et convulſiones univerſales; nunc in pulmones, unde aſthma, tuſſis, ſuffocatio; nunc in pleuram, unde pleuritis; nunc in ventriculum et inteſtina, unde anxietas,

xietas, nauſea, vomitus, diarrhoea. Hiſce ſaevientibus, nullus in parte dolor; et vice verſa. Deficiente natura, praegravantur viſcera vitalia, et moritur.

9. A ſyſtemate vaſculoſo materia viſcida onerato, laſſitudo, &c. A ventriculo debilitato, apepſia, &c. A motu humorum in pedibus languido, ſudor ibi interruptus, et varices. Ab eadem cauſa et vaſis nimis conſtrictis, ibi ſiſtitur materia podagrica dolorem excitans. A materia viſcida acri, febris. A diverſa ejus in parte affecta ſituatione, diverſae ſenſationes. Tranſlatio materiae morbificae in pedem eſt criſis febris. A madore, vaſorumque externorum inflammatione, interna liberantium, doloris remiſſio. Ab impedita perſpiratione et ſanguine magis acri, veſperi paroxyſmulus. Mens irritabilis, ab irritatione generis nervoſi. Solvitur paroxyſmus, ob materiam ſubactam. Materia per poros ſibi viam faciente, cutis prurit et deſquamatur. Tenuioribus difflatis, pars remanet terreſtrior, tophoſque producit. A metaſtaſi materiae podagricae in viſcera vitalia, ſymptomata ſaeva, et mors.

10. Diagnoſis patet. Si praegreſſis nonnullis podagrae ſymptomatibus, vel ſolito paroxyſmi tempore, aeger morbo febrili laborat, ab hoc fonte oriri probabile eſt.

11. Qualis ingruit febris, talis erit paroxyſmus. Quo magis dolet pars, eo brevior paro-

xyſmus, longiorque intermiſſio; et vice verſa. Securitatem quoque pollicetur acutus dolor; proprium enim eſt naturae inſtrumentum ad materiam podagrae ejiciendam. Partibus nobilioribus multa levat mala, ideoque pleriſque magno eſt uſui. Juvenes facilius curantur quam ſenes. In haereditariis et tophaceis medela non expectanda.

12. Totius medelae cardo verſatur in curatione morbi, paroxyſmi, et ſymptomatum.

Morbus curatur in intermiſſione, 1. Vires concoctrices roborando. 2. Nullum fomitem adminiſtrando.

Vires concoctrices roborantur, 1. Medicamentis corroborantibus, uti ſtomachicis amaris, aromaticis, antiſcorbuticis; cortice Peruviano; chalybe vel aquis chalybeatis, praecipue thermis Bathonienſibus. 2. Exercitio leni quotidiano in aëre ſalubri, praecipue equitatione. 3. Frictionibus. 4. Mature lectum petendo; animi tranquillitate; nulla venere, et cutem mundam ex panno laneo bene tectam cuſtodiendo.

Fomitis ſubminiſtratio impeditur, 1. Dieta rite ordinata modo, genere, et tempore. 2. Potu neque calefaciente, neque debilitante: vino non niſi vinoſis vel debilibus conceſſo. 3. Tinct. rh. amar. bis in ſeptimana repetita, qua craſſior victus pars ſubducetur; flore ſulphuris.

Hiſce regulis diu obtemperare debet aeger, cauſis

caufis remotis, quae morbum produxerunt, evitatis. Si hae nihil proficiunt, certiffime profligatur dieta lactea.

Paroxyfmus curatur naturae opitulando, 1. In feparatione; dein, 2. In expulfione materiae morbificae.

Separatio adjuvatur, 1. Si initio nimium fervet fanguis, ob juventutem vel immodicam potationem venaefectione cauta. 2. Si nimium torpet, cardiacis. 3. Calore. 4. Potu diluente.

Expulfio perficitur, 1. Diaphoreticis mane adhibitis. 2. Exercitio. 3. Frictione. 4. Inuftione cum lino; verberatione cum urtica; cantharidibus applicatis.

13. Quoad fymptomata, 1. Si vehementer excruciat dolor et vires aegri exhaurit, cataplafmata emollientia, et urgente fumma neceffitate, opiata interne vel externe parce adminiftranda; motum enim articuli labefaciunt. 2. Si caput vel pulmones occupat materia podagrica, expellitur phlebotomia; empl. epifpaft. talis, et fomentationum partibus dolore affuetis applicatione; purgantibus ftomachicis. 3. Si ventriculum vel inteftina, cardiacis fortioribus, exercitio, decoctionibus aromaticis fudorem in lecto moventibus. 4. Diarrhoea non critica, eodem modo curatur. 5. Dolores nephritici, decoctionibus, clyfmatibufque emollientibus et thermis calidis.

14. Quare curatu tam difficilis? An ullum ſpecificum adhuc notum, quod podagram radicitus extirpare valet; vel an ulla ſpes reſtat tale inveniendi? An in perſpiratione cuticulari promovenda tota res agitur? Quare aetas tenera immunis?

SECT. III.

Rheumatiſmus.

1. RHeumatiſmus, huic morbo vicinus, eſt dolor tranſiens, erraticus in muſculis vel articulis.

2. Diſtinguitur, 1. In febrilem et non febrilem. 2. In univerſalem et localem.

3. Vere et autumno maxime graſſatur.

4. Cauſae remotae ſunt, corpus calens frigori ſubito expoſitum: ventorum mutationes: ſanguinis nimia effuſio vel hypocatharſis: plethora ab evacuationibus ſuppreſſis: crapulae, pocula, et venus immodica: morbus ſanguinem vitians, uti intermittens, ſcorbutus, lues venerea.

5. An cauſa proxima eſt, ſerum viſcidum acre, vaſa ſeroſa et lymphatica muſculorum, ſed praecipue membranarum et ligamentorum, obſtruens? Cauſae remotae, conſpectus ſeri, et diſtillatio urinae rheumaticae, huic fidem faciunt.

6. Febrilis

6. Febrilis ſymptomata ſunt, laſſitudo, rigor, extremitatum gravitas et frigus, pulſus celer et ſtrictus, ſitis, inquietudo, venter conſtipatus. Die uno vel altero elapſo, dolor acutus, ad motum auctus, ſedem ſaepe mutans, articulos praecipue occupat, cum tumore et inflammatione. Sanguis pleuriticus. Caput aliquando vel praecordia occupat. Febre ceſſante, remanent dolores. Tubercula et anchyloſes in articulis ſaepe formantur.

Non febrilis ſymptomata ſunt, dolores vagi et rigiditas in partibus muſculoſis, vel ligamentis, plerumque ſine tumore: doloribus retrocedentibus oritur anxietas; et vice verſa.

7. A vitiato ſero oritur febris: A vaſis diſtractis, dolor, tumor, inflammatio. Materiae ſeparatione, ceſſat febris.

8. Criſis perficitur, vel per ſudores, vel urinam, vel haemorrhagiam, vel cutis effloreſcentias.

9. Diagnoſis inter rheumatiſmum non febrilem et arthritidem, quamquam difficilis, attamen conſideranti progreſſum ſymptomatum patebit.

10. Spes bona dummodo in externis partibus haerent dolores; incerta, ſi occupant internas. Rheumatiſmus frequens morbos chronicos inducit; vel in affinem podagram mutatur.

11. Rheumatiſmus febrilis curatur, 1. Venaeſectione larga et ſaepe repetita. 2. Diluentibus

et attenuantibus. 3. Clyſmatibus. 4. Medicamentis ſudorem poſt depletionem promoventibus, donec febris et dolores ceſſarint. 5. Victu tenuiſſimo; calore lecti temperato; quiete.

Rheumatiſmus non febrilis curatur, 1. Demulcentibus, aperientibus, diaphoreticis. 2. Unguentis calefacientibus et penetrantibus, vel epiſpaſticis parti applicatis. 3. Frictione. 4. Cucurbitula cum ſcarificatione. 5. Uſtione cauteriis. 6. Thermis arte praeparatis, vel naturalibus, quales ſunt Buxtonienſes.

12. Ad tumores, cataplaſmata emollientia, evitatis repellentibus: ad dolores ſaevos, opium: ad partium rigiditatem, thermae conveniunt.

13. Eſt ſpecies rheumatiſmi, a loco affecto, iſchias appellata. Oritur a febre, cubatione terrena, omnibuſque antedictis cauſis. Haeret nonnunquam in ligamentis acetabuli; nonnunquam in nervo ſciatico. Advenit torpore, impedito motu, formicatione, nonnunquam vehemente febre. Per totum crus ad pedes ſaepe deſcendit dolor. Pars debilitatur, abbreviatur, claudicat. Curatur uti rheumatiſmus chronicus.

14 Eſt et alia ſpecies quae lumbago rheumatica appellatur. Saeviſſimus haeret in lumbis dolor, deſcendens ad articulum femoris, vel ad os ſacrum, vel tranſverſo itinere per latera ad veſicam. Cauſa eſt ligamentorum vertebralium inflammatio. Curatur venaeſectione et medicamentis

mentis topicis, viz. unguentis calidiſſimis penetrantibus, vel empl. epiſpaſticis. Hunc morbum epidemice graſſantem ſemel vidi.

15. An differentia inter rheumatiſmum et arthritidem conſiſtat in ipſa cauſa, vel loco affecto ſolummodo, vel ambobus? An cauſa diverſarum ſpecierum rheumatiſmi eadem ſit? Quare rheumatiſmus facilius quam arthritis curatur.

SECT. IV.

Febris purpurata vel miliaris.

1. FEbris purpurata vel miliaris nomen tenet a puſtulis rubris vel albis, ſeminis milii ſpeciem prae ſe ferentibus. Antiquis medicis plane incognita fuit: ducentis abhinc annis Leipſiae primo ſeſe monſtravit.

2. Diſtinguitur, 1. In rubram et albam; in priore puſtulae rubrae, in poſteriore albae ſunt. 2. In idiopathicam et ſymptomaticam; ſaepe enim conjungitur cum variolis, morbillis, et diverſis febribus.

3. Adoritur laxos habitus; temperamenta phlegmatica; infantes et ſenes ſaepius quam adultos; foeminas ſaepius quam viros, et inter illas nobiliores, delicatas, fluore albo affectas, et ſaepiſſime puerperas; quia humores in harum vaſis u-

terinis ſtagnant et corrumpuntur, et multum ſudant.

4. Cauſae remotae ſunt animi pathemata relaxantia, qualia moeror et ſolicitudo; magnae evacuationes; vigiliae; meditatio; vita otioſa; aër vapidus; aeſtas pluvioſa; dieta nimis aquoſa ex vegetabilibus, et dulcibus; aqua impura; alvus adſtricta; ſudores nimis protracti.

5. An cauſa proxima eſt nimia copia, lenteſcentia, et acrimonia tenuium humorum vaſa ſubcutanea oppilantium? Hanc opinionem confirmant cauſae praediſponentes et remotae, medela, et cadaverum ſectio.

6. Hiſce ſymptomatibus ſtipatur febris miliaris. Praecedit frigus et horror: Sequitur calor non admodum intenſus; virium defectio; ſpirituum depreſſio; pulſus frequens et debilis; reſpiratio oppreſſa et ſuſpirioſa; inſomnium; leve delirium; lingua alba; urina naturalis vel pallida; alvus adſtricta vel laxa; tremor manuum; remiſſio et exacerbatio febris; vigiliae; ſpirituum commotio; aeſtus in volis manuum; in puerperis lochiorum et lactis ſuppreſſio. Inſueta punctio ſub cute ſentitur. Huic ſuccedit cutis aſperitas, et innumerae puſtulae albae vel rubrae, milii ſemen referentes, quae ſenſim implentur ichore foetido. Tunc mitigantur ſymptomata; pulſus plenior et mollior fit; animo redit vigor; cutis madeſcit; ſudor foetidus erumpit; urina

devenit

devenit colorata; evacuationes ſuppreſſae redeunt; et puſtulae, poſt decurſum plerumque ſeptem dierum, areſcunt et deſquamantur cum moleſto pruritu.

7. A tenuiorum humorum nimia copia et acrimonia facillime deducenda ſunt haec ſymptomata.

8. Diſtinguitur a morbillis crebro et celeri puſtularum retroceſſione, pruritu moleſto, odore foetido, nullaque tuſſi, vel ſternutatione. Languores, praecordiorum anxietas, deſperatio, odor ſudoris eruptionis miliaris jam inſtantis indicia ſunt.

9. Purpura rubra mitior eſt alba. Reſpiratio facilis, puſtulae leni diaphoreſi ſeſe oſtendentes, remittente tunc febre, vel pulſu molliori et ampliori, ſigna bona; ſed corpus impurum, reſpiratio laborioſa, magna ſpirituum dejectio, ſanguis diſſolutus, ſtillae ſanguinis e naribus, eruptio puſtularum tertio vel quarto die et ſine levamine, mala. Si puſtulae omnino retrocedunt cum exacerbatione ſymptomatum, anxietate, dolore, convulſionibus, apoplexia, vel ſignis inflammationis internae, actum eſt de aegro. In puerperis diarrhoea timenda eſt, quia lochiorum fluxum impedit.

10. Morbus ejuſque curatio dividuntur in ſtatum febrilem et ſtatum eruptionis. In ſtatu febrili indicatio eſt, febrem in debito moderamine retinere.

retinere. Huic intentioni conducunt veſicantia unum poſt alterum applicata per totum morbi decurſum, potus ex aqua pulli, animus tranquillus, calor lecti, et ſitus horizontalis. Venaeſectio raro, niſi urgente aliquo ſymptomate vel pulſo duriuſculo, prodeſt; ſaepe nocet.

In ſtatu eruptionis, conducunt ad materiam morbificam gradatim expellendam, fotus ad artus adhibiti, et leniſſima diaphoretica, evitatis ſudorificis et calefacientibus frigoreque externo.

Si in longum trahatur morbus, ſi pus tenue et ſanioſum, ſi pulſus debilis, ſi morbus remiſſiones et exacerbationes habet, cort. Peruvianus adminiſtrandus eſt.

In morbi declinatione, ſi puſtulae exiguae, neque materiam morbificam continere valeant, tunc per inteſtina laxantibus leniter educenda eſt materia ſuperflua.

11. Ad retroceſſum puſtularum, cucurbitulae cum ſcarificatione, et hirudines venis temporalibus, ſi pulſus durus; fotus; veſicatoria; potus calidiuſcula; calor lecti; mens hilaris, et redeunte madore, mitia diaphoretica.

12. In morbo complicato cum puerperio vel aliis febribus, curationis ratio pendet ex prudenti utriuſque conſideratione; eo itur quo ſymptomata magis urgent.

13. Prophylaxis nititur aëre puro, ſicco, et calidiori;

calidiori; cute bene perſpirabili; alvo aperto; victu nutriente et ſicco; exercitioque.

SECT. V.

Febris ſcarlatina.

PRaecedenti perſimilis eſt febris a colore ſcarlatina dicta; ubi maculae amplae rubrae ſupra cutem non elevatae, hinc inde apparent, cum calore, ariditate, ſenſibilitate, pruritu cutis, et febre acuta. Elapſis tribus vel quatuor vel quinque diebus, maculae diſparent et cutis deſquamatur. Curatur venaeſectione, laxantibus, et potionibus diluentibus.

SECT. VI.

Eryſipelas.

1. ERyſipelas, vel ignis ſacer, vel roſa, vel ignis Sancti Antonii, eſt inflammatio in ſumma cute et pinguedine, late ſerpens, cum dolore, calore, et rubore.

3. Diſtinguitur, 1. In eryſipelas cum puſtulis et ſine puſtulis. 2. In ulceratum vel non ulceratum.

ratum. 3. In idiopathicum et ſymptomaticum. 4. Secundum partes affectas.

3. Ad hunc morbum diſpoſiti ſunt plethorici; ſanguinei; juvenes; foeminae gravidae; ſcorbutici; cacochymici; a parentibus huic obnoxiis progeniti; et hoc malum ſemel paſſi. Ab anno trigeſimo ad quadrageſimum praecipue infeſtat.

4. Cauſae remotae ſunt animi affectus violenti, ira imprimis et terror; ſubitum refrigerium corporis a calore ſolis antea calefacti; liquores fermentati; potiones, et balnea nimis calida; evacuationes naturales vel artificiales ſuppreſſae vel omiſſae; aër humidus et pluvioſus; perſpiratio quocunque modo impedita.

5. An cauſae proximae ſunt acres et cauſticae particulae, non a corrupta bile, uti vulgo putatur, ſed ab humoribus, qui ſecerni debent, retentis et corrumpentibus, provenientes? Hanc opinionem confirmant cauſae praediſponentes et remotae, ſymptomataque.

6. Sedes hujus morbi primaria eſt cutis et ſubjacens pinguedo, uti docet cadaverum inſpectio.

7. Invadit eryſipelas horrore; inſequente febrili calore; ſiti; inquietudine; pulſu frequenti; ſanguine plerumque cruſta cooperto; virium proſtratione; dorſi capitiſque dolore; vomitu; delirio; anxietate; corporis jactatione; comate; vigiliis. Secundo, tertio, vel quarto die, cutis intumeſcit cum dolore et rubore, et tumor ſuperintegitur

perintegitur denſo puſtularum agmine, quae in veſiculas, tenuem humorem continentes, elevantur, febre interim recedente. Serpit tumor. Infeſtat ſaepe extremitates, abdomen, mammas et glandulas axillares; ſed ſaepiſſime faciem, ubi oculi clauduntur, nares et fauces ſicceſcunt, et ſopor conjungitur. Si morbus terminatur reſolutione, tumor ſenſim ſubſidit, ardor et dolor evaneſcunt, color roſeus in flavum mutatur, et cuticula in ſquamas fatiſcens ſecedit. Si in ſuppurationem abeat, ulcera mali moris, vix ſanabilia, producuntur.

8. Haec ſymptomata facillime deduci poſſunt a tenui et acerrimo humore.

9. Tumor eryſipelatis depreſſus, late ſeſe diffundens, et albicans poſt compreſſionem, ſatis diſtinguitur a phlegmone, ubi inflammatio profundior et color poſt tactum non recedit. A peſte diſcrepat, quamvis in multis perſimili, eryſipelas, quia neque contagio oritur, neque contagioſum eſt, neque tanto ſtipatur periculo.

10. In levioribus hujus morbi ſpeciebus non magnum adeſt periculum: ſed, ſi gravior inflammatio corpus cacochymicum corripiat cum perpetuo comate vel delirio, in anguſto ſpes eſt. Eryſipelas retrocedens vel retropulſum, deliria, inflammationes internas, aſthma, ſpaſmos et gangraenam inducit. Si tumor liveſcat, gangraena prope adeſt. Quo craſſius et albidius pus, eo minus;

nus; quo tenuius et pallidius, eo majus periculum.

11. Indicatio curativa poſtulat febris mitigationem, ut promoveatur ſeparatio humorum morboſorum a ſanis; excluſionem totalem materiae morbificae; et quo minus ſerpat, ejus expulſionem e corpore.

Febris mitigatur venaeſectione pulſu aeſtimanda. Excluſio perficitur potionibus diluentibus, demulcentibus, et medicamentis diaphoreticis. Expulſio materiae, quando caput occupat, vel longius in vicinas partes ſerpit, optime perficitur leniſſimis laxantibus, et emplaſtris epiſpaſticis in vicinio applicatis.

Convenit dieta infirmiſſimae materiae; evitatis, ni pulſus deficiat, medicamentis internis calefacientibus.

12. Farina ſaenugraeci vel tritici ſupra partem inſperſa, et calor lecti tepidus eſt optima applicatio externa; nocent enim omnia repellentia, aquoſa, et oleoſa. Si adſint gangraenae ſigna, fomentationes ſpirituoſae, cataplaſmata ex medicamentis calorem excitantibus, et cortex Peruvianus conducunt. Vinum in hoc morbi ſtatu non alienum eſt.

Erysipelas phlyctanodes Cullen. —

13. Eſt eryſipelatis certa ſpecies quae, quia corpus circiter umbilicum inſtar cinguli cingit, zona, vel zoſter appellatur. Stipatur diverſis tumoribus, obſitis puſtulis urentibus, valde dolentibus,

Erythemate ex papulis pluribus, trunci corporis partes praecipue occupantibus, & protinus in phlyctaenas sive vesiculas parvulas abeuntibus —

tibus, hinc inde ſeſe monſtrantibus. Curatur uti prior morbus.

14. Eſt et alia ſpecies a Sydenhamo deſcripta, quam ipſe, durante conſtitutione varioloſa, quoque vidi. Superveniebat febri, tertio vel quarto die, eruptio puſtularum eryſipelacearum, quae humorem flaveſcentem continebant, febrem mitigabant; et poſt quatuor dies diſparebant. Facillime venaeſectioni et purgantibus ceſſit.

SECT. VII.

Variolae.

1. VAriolae in Egypto et interioribus Arabiae locis ſe primo manifeſtabant, initio ſeptimi ſaeculi. Abhinc, cum armis Saracenorum pari paſſu progredientes, per Hiſpaniam, dein per totam Europam, vagatae ſunt. Eximias in hoc morbo laudes meruit Sydenhamus.

2. Verno tempore ingrediuntur, aeſtivo praecipue graſſantur, autumnali cedunt, brumali vix apparent. Tenella aetas maxime huic morbo obnoxia. Rariſſime ſecunda vice variolas patitur quiſquam.

3. Semina variolarum non a parentibus ad prolem derivantur, aliter haud in noſtro orbe tamdiu latuiſſent; ſed a plagis orientalibus advecta, uti

uti caeterorum epidemicorum, in atmosphera volitant.

4. Miasmata variolosa videntur esse admodum subtilia, inflammantia, stimulantia.

5. Oritur morbus, 1. Immediate ab aëre externo materia variolosa repleto. 2. Contagione ab infecto. 3. Insitione.

6. Introitum morbo praebent vasa cutis et pulmonum absorbentia, membrana oris nasique interna, viaeque alimenti.

7. Variolae distinguuntur primo in discretas, confluentes, cohaerentes. 2. In communes, crystallinas, siliquosas, verrucosas, sanguineas.

8. Morbus admodum regularis, et se dividit in quatuor stadia, febris primariae, eruptionis, suppurationis, febris secundariae.

9. Advenit horripilatione; tremoribus; animi deliquiis; doloribus totius corporis, sed praecipue occipitis, faucium, dorsique; siti; calore; inquietudine; pulsu celeri, duro; nausea, vomitu; oculorum scintillatione; somnolentia. Acute dolet orificium superius ventriculi, ut et aliquando latus. Primis diebus sudoribus adulti, insultibus epilepticis infantes obnoxii. Sanguis, paucis elapsis horis, pleuriticus. Duos, tres, vel quatuor dies durat stadium febrile.

In confluentibus, secundo vel tertio; in discretis, tertio, quarto vel quinto plerumque die, oriuntur puncta parva, rubra, morsus pulicum aemulantia;

aemulantia; conſpiciuntur primo in facie, paucis horis poſtea in pectore et brachiis, poſtero, vel tertio die, in extremitatibus inferioribus. Inflammantur, elevantur, dolent, calent. Si diſcretae ſunt, eruptione procedente, cedit plerumque febris; ſi confluentes, mitigatur. Sexto circiter die, finita irruptione, in confluentibus, cohaerentibus, et ſaepe in diſcretis, os ſcatet tenui ſaliva, quae gradatim ad veram ſalivationem augetur. Diarrhoea infantibus ſalivationis vicem praeſtat. Fauces inflammantur, tument, dolent. Septimo plerumque die palpebrae turgeſcunt materia ſeroſa, et ſequente, oculos obvolvunt. Eodem tempore tumeſcere incipit facies, puſtularumque interſtitia rubeſcere, doleſcere. Octavo die, ad ſuppurationem tendunt puſtulae: tunc ſtadium irruptionis finitur.

Puſtulae ſuam magnitudinem adeptae, aſperae evadunt, albeſcunt, et pure replentur, primo in facie, dein eodem ordine in caeteris corporis partibus, quo ortae fuerunt; ſputum ſpiſſius evadit, et copia augetur; magis dolent fauces; urina ſaepe ſanguinolenta; nunc pure turgent puſtulae; cutis quaſi igne comburitur, et vix prae moleſtia cubitus ſomnuſve. Decimum circiter diem terminatur ſtadium tertium ſuppurationis.

Hi tumores purulenti in facie primo areſcere, et flaveſcere incipiunt. Febris accenditur major in confluentibus quam diſcretis, cum pulſu

pleno, duro; ſiti; anxietate; ſanguine pleuritico. Gradatim detumeſcit facies, ſputuſque viſcidus diminuitur. Eodem tempore manus brachiaque inflantur, vel inflari debent, uſque ad diem decimum tertium, quando tumor faciei et ſalivatio omnino ceſſant. In extremitatibus puſtulae ſuos ſacculos rumpunt. Ingraveſcente febre, in confluentibus praeſertim, horrenda adveniunt ſymptomata, uti delirium, coma, inflammatio pulmonum caeterorumque viſcerum. Defluxio viſcida, tumor faucium, naſuſque infarctus, minitant ſtrangulationem. Mutationes multas fallaces patitur aeger. Tandem ab undecimo ad decimum ſeptimum, vel perit, vi morbi oppreſſus, vel a febre, viſu recuperato, convaleſcit. Cutis nunc cruſtis aridis infeſtatur, poſtea decedentibus, veſtigiaque alte impreſſa relinquentibus.

10. Criſis febris ſecundariae perficitur, vel ſede, vel urina multa craſſa.

11. Poſt morbum finitum, ſequuntur oculorum inflammationes, ulcera foeda, abſceſſus, juncturarum tumores, phthiſis, tabes, aliaque ſimilia.

12. A miaſmate varioloſo, cum ſanguine miſto, oritur ſtadium febrile: Ab eadem materia, in cutem ejecta, febris levatur. A puſtulis interne irrumpentibus, dolent fauces. Salivatio eſt niſus naturae ad reliquias materiei varioloſae expellendas:

expellendas: eodem tendit faciei et palpebrarum tumor. Interſtitiorum dolor, a tenſione. A retenta perſpiratione, pure multo, et particulis varioloſis, iterum in ſanguinem reſorptis, febris ſecundaria, ejuſque varia ſymptomata. In extremitatibus pus remora acredinem concipit, cutemque exedit.

13. Diagnoſis probabilis redditur in primo ſtadio, ſi epidemicae regnant variolae, ſi inferior occipitis pars, fauces, lumbi, ſed praecipue os ſuperius ventriculi dolent. Ab eryſipelate, ſymptomatibus diſtinguitur. Aliquando febris eruptiva, variolas aemulans, eodem tempore graſſatur; ſed non eadem ſtadia percurrit; ergo facile diſtinguitur. Morbo elapſo, ob regularem ſymptomatum ſucceſſionem, nulla reſtat difficultas.

14. Variolae eo benigniores, quo tardius; eo periculoſiores, quo citius in hyeme adveniunt. In tenera aetate, mitior morbus; in magis firma et provecta, vehementior.

Caeteris paribus, quo diuturnius ſtadium primum, eo mitiores variolae; quo brevius, eo pejores expectandae. Si in latere, vel ore ventriculi haeret dolor acutus, malo proficiſcuntur omine.

Quo puſtulae magis confluentes, quo numeroſiores in facie et corporis trunco, quo magis depreſſae, quo febris minor remiſſio in ſecundo ſtadio, eo majus periculum; et vice verſa. Deliri-

um, eruptionem ſubſequens, haud leviter nos terrere debet. Defectus ſalivationis, in depreſſis et confluentibus, ſignum peſſimum. Quo magis interſtitia rubent, uti roſae Damaſcenae, eo melior ſpes; quo magis pallent, eo pejor.

Si pus album, viſcidum, ſacculoſque optime diſtendit, indicium fauſtum: Si e contrario fuſcum et tenue, puſtulaeque flaveſcunt, vel apices indentatos habent, indicium infauſtum. Si livent interſtitia, vel ipſae puſtulae, mors inſtat.

Si febris ſecundaria apparet, ante puſtularum retroceſſum, omen malum. Si, facie detumente, ptyaliſmoque deſinente, non turgeſcunt eadem proportione manus et brachia, mortiferum in confluentibus ſignum eſt. Si prae nimio calore, ſtragula ſuſtinere non poteſt aeger, adeſt delirium. Magna faucium inflammatio, ſpiritus creber, urina multa pellucida cum nubeculis ſuſpenſis, ſtridor dentium, floccorum lectio, mortem intentant. Haud fidendum eſt delirio remittenti, ſi eadem durat febris.

15. Modus curationis in primo ſtadio eſt, ut febris in juſto moderamine conſervetur, ad materiam varioloſam ſeponendam. Perficitur, 1. Venaeſectione pulſu, viribus, anteacta vita, ſymptomatibus, menſuranda. 2. Vomitu. 3. Alvi leni ſolutione. 4. Sanguinem, potu multo acidulo, diluendo. 5. Aëre externo frigidiuſculo. 6. Extremitates, immediate ante eruptionem, fomentationibus emollientibus relaxando,

ut

ut minor ad partes nobiliores, major ad ignobiliores materiae varioloſae fluxus fiat. Ad acutum in orificio ventriculi dolorem, fomentationes continue applicentur. Ad ſudores compeſcendos, lecto abſtineat aeger, vel leviter ibi tegatur.

In ſecundo ſtadio ſcopus eſt, naturae materiam varioloſam ad cutem eliminanti, ſuppetias ferre. Si deficit natura ob nimiam debilitatem, quam indicat pulſus imbecillis et languidus, adjuvatur, 1. Cardiacis. Si ob nimiam vaſorum repletionem et ſanguinis denſitatem, quae cognoſcitur duritie, viribuſque pulſus, adjuvatur, 2. Sanguinis miſſione. 3. Attenuantibus. Si medium iter tenet, tota res ſibi permittenda.

In tertio ſtadio iiſdem, ac in priore, methodis puſtulae ſuſtinendae, et ſuppuratio promovenda. In his duobus ſtadiis conveniunt, 1. Dieta tenuiſſima, refrigerans. 2. Potus multus acidulus. 3. Frigoris evitatio. 4. Ad moleſtiam et inſomnium, anodyna. 5. Ad urinam ſanguineam et morbi malignitatem, ſpir. vitr. cum potu, ad gratam aciditatem, miſtus. 6. Ad urinae ſuppreſſionem, e toro exitus ad aërem frigidiuſculum, cum diureticis et laxantibus.

In quarto ſtadio obviam itur febri ſecundariae, ejuſque ſymptomatibus, 1. Venaeſectione ſaepius repetita, dum pulſus ſuſtinere poteſt. 2. Epiſpaſticis. 3. Alvum frequenter ſolvendo purgantibus, dummodo pulſus non deficit. 4. A-

cidis vegetabilibus cum potu miſtis. 5. Si vires ſuccumbunt, cardiacis ſubveniendo.

Ad tumorem faucium et defluxionem viſcidam, externe cataplaſmata, interne gargariſmi, vomitus, veſicatoria, ſitus fere erectus; ad naſi infarctionem, vapores emollientes; ad calorem faciei urentem, flos lactis tepefactus et cum plumis illinitus; ad profunda veſtigia eradicanda, olei blandiſſimi inunctio; in abortionibus et menſium nimio fluxu, incraſſantia et adſtringentia interne ſumpta, proſunt. Vigeſimo primo die, iterum ſanguis mitti et purgationes inſtitui debent.

16. Cryſtallinae, diureticis, epiſpaſticis et cardiacis: 2. Verrucoſae, balneo tepido et epiſpaſticis: 3. Sanguineae, incraſſantibus, antiſepticis, vino rubro Gallico, et cort. Peruviano, aggrediendae ſunt.

17. In variolis inſitivis, attentione habita ad tempus, dietam, et temperiem aegri, vis morbi egregie laxatur; morbo ſeptimo, octavo, nono, vel decimo die ſeſe monſtrante, citius et benignius ſua ſtadia percurrente, et febre ſecundaria omnino fere evaneſcente.

18. Uti febris ſecundaria materiae reaſſumptae effectus eſt, annon ſtadium hoc periculoſiſſimum omnino tolli poteſt, pus e puſtulis inciſione educendo? Opus certe taedii plenum, ſed praemium magnum. Idem perficit natura in extremitatibus.

19. An

19. An methodus antiphlogiſtica vel ſpecifica, in primo ſtadio uſurpata, ulteriorem hujus morbi progreſſum impedire queat? Neque conſentaneum videtur legibus naturae aeternis, neque praxi adhuc confirmatur.

20. Annon pus tenue et fuſcum in tertio ſtadio corrigi poteſt cortice Peruviano? An miaſmatum varioloſorum diverſae ſpecies ſunt, vel ſolo diverſitas ab infecto corpore? An periculum variolarum a copia recepta, vel a ſtatu ſanguinis inflammatorio, vel ab ambobus, dependet? An unicuique puſtulae materia adeſt varioloſa? An ſe multiplicare poteſt?

SECT. VIII.

Morbilli.

1. EAndem originem cum variolis morbilli habent, ſimilique contagione per orbem vagantur; nec plus una vice, niſi perquam rariſſime, quenquam corripiunt. Sed perperam a multis ſcriptoribus ſimul tractantur; naturaliter enim diſtinguuntur.

2. Menſe Januario ingrediuntur, circa vernum equinoctium maxime graſſantur, et menſe Julio evaneſcunt. Teneram aetatem praecipue adoriuntur.

3. Tria ſtadia habent morbilli, contagii, eruptionis et exareſcentiae.

4. Morbus incipit tremoribus vagis; frigore et calore alternatim; hiſce ſupervenit febris continua cum ſiti, calore intenſo, lingua alba, capitis gravedine, ſomnolentia, ſternutatione, tuſſi ſicca ſaepe admodum moleſta, oculis ſcintillantibus tenuemque humorem deſtillantibus, palpebris tumefactis. Vomitus nonnunquam adeſt. Stadium primum.

Quartum circiter diem plerumque apparent in facie maculae parvae, rubrae inſtar morſus pulicum, quae ſibi invicem implicatae maculas majores conſtituunt ſupra cutem elevatas. Poſtea latae maculae apparent in trunco corporis et extremitatibus, haud ſupra cutem eminentes. Ceſſat plerumque vomitus; ſed intenditur febris, tuſſis, et reſpirationis difficultas. Superveniunt ſaepe ſudores et diarrhoea. Stadium ſecundum.

Sextum circiter diem puſtulae in facie exareſcunt, et cutis deſquamatur; poſtea idem accidit per totum corpus. Nono die non amplius conſpiciuntur, cutiſque quaſi farina conſpergitur. Eodem tempore nonnunquam mitigantur, nonnunquam augentur febris et tuſſis, quae ſaepe in peripneumoniam periculoſam terminantur. Diarrhoea poſt morbum aliquando ſupervenit. Stadium tertium.

5. Criſis perficitur ſudoribus, alvi fluxu, et urina

rina copiosa. Nono plerumque die suffocantur infantes, ex nimio seri acris affluxu.

6. A miasmate morbilloso, sanguinem et salsos humores, praecipue glandulae lachrymalis, inquinante, oriuntur omnia haec symptomata.

7. Diagnosis dirigitur a constitutione regnante, oculis tenuem humorem destillantibus, titillatione in naso, inquietudine magna, calore intenso, tussi et latis rubris maculis in pectore, haud supra cutem elevatis.

8. Prognosis eo periculosior, quo tardior eruptio. Diarrhoea mitis et cutis humiditas febrem mitigant. Si pustulae iterum sese recondunt, cum delirio, signum est mortis imminentis; si livescunt, periculum magnum. Nimia rubedo vel pallor pustularum, virium prostratio, vomitus, inquietudo summa, deglutitio difficilis, vel aliae maculae, uti petechiae purpureae, signa mala sunt. Tussicula cum raucedine, morbo finito, perdurans saepe phthiseos causa fit. Febris lenta, tabes, et abdominis tumor, alvi fluxum, per aliquot septimanas permanentem, sequuntur.

9. Curantur, 1. Venaesectione, aetate, viribus, &c. mensuranda. 2. Vomitu. 3. Dieta tenuissima. 4. Potu multo diluente acidulo.

10. Ad tussim mitigandum, medicamenta pectoralia; ad insomnium, declinante morbo, anodyna; ad maculas purpureas, venaesectio, si adsit plenitudo, et elix. vitriol. conducunt; ad peripneumoniam

pneumoniam et diarrhoeam, methodus in hiſce morbis uſitata.

11. Caveant convaleſcentes ne nimis praemature ſeſe committant frigido aëri, vel ſalubrem victus rationem lautiori poſthabeant; plectuntur enim poſtea catarrho ſuffocativo, aſthmate, phthiſi, et tabe.

12. Morbilli per inſitionem, ope ſanguinis infecti, communicantur, uti a me uſu confirmatum eſt. Die ſexto plerumque febricula ſeſe monſtrat, mitiſſima tuſſicula, ſine inſomnio et inflammatoriis ſymptomatibus, concomitante; et neque febre hectica, neque tuſſi, neque oculis inflammatis ſuccedentibus.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS NON FEBRILIBUS.

PARS PRIMA.

De morbis totius corporis.

SECT. I.

De morborum non febrilium diſtributione.

1. OMNIBUS quae ad morbos febriles pertinent ſpectatis, nunc ad non febriles perventum, quorum idonea in diverſas claſſes diſtributio paulo difficilior eſt. Haec mihi optima videtur in quinque claſſes redigere. In prima, diſtribuuntur morbi qui conſiſtere videntur primario in totis corporibus, quamvis nonnulli poſtea in partes detonant. In ſecunda, qui praecipue afficiunt cerebrum vel genus nervoſum. In tertia, qui oriuntur a labe viſcerum. In quarta, qui occupant naturalia vel uterum. In quinta, quibus obnoxia eſt aetas infantilis.

SECT.

SECT. II.

Scorbutus.

1. SCorbutus tam varia habet ſymptomata, ut nulla dari poſſit definitio; nihilominus morbus ſpecificus et diſtinctus ab omnibus aliis apparet. Antiquis cognitus fuit, quanquam inter illos, ob hyemes navigationeſque contractiores, non tantum neque tam ſaepe ſaeviebat. Bene de civibus meret Lynd, ob id volumen quod de ſcorbuto compoſuit.

2. Variae hujus morbi diſtinctiones a practicis traditae, oriri videntur potius a variis aegrorum conſtitutionibus, quam a diverſa cauſa; ſi alium, praeter male fundatam opinionem, parentem agnoſcunt. Hinc recte diſtinguitur in calidam, quando inflammatio adeſt; et frigidam, quando abeſt.

3. Foeminas, viros effoetos, urbanos, ſtudioſos, moerori indulgentes, convaleſcentes, et populos ſeptentrionales, praecipue terram paludoſam habitantes, adoritur.

4. Cauſae remotae ſunt aër humidus paludoſus et frigidus; dieta craſſa ex ſalitis, fumatis, et induratis carnibus vel piſcibus; nullus, vel nimis parcus, vegetabilium recentium uſus; aquae

quae corruptae; evacuationes nimiae vel nimis parcae; morbi praegressi; animi pathemata reprimentia, uti moeror, timor, &c.; cibus post exercitium immodicum; vita otiosa cum cibi intemperantia; et labes haereditaria. Annon labes viscerum potius a morbo excitatur, quam morbum excitat, quia aliquando nulla adest?

5. An putredo et attenuatio in ultimis nostrorum humorum particulis est causa proxima? Huic opinioni favet causarum remotarum contemplatio, symptomata, medela, et cadaverum incisio.

6. Symptomata hujus variantis morbi praecipua haec sunt: Debilitas; lassitudo; defatigatio insolita post motum; respiratio difficilis et constricta; nausea; rubedo, tumor, pruritus et ulcera gingivarum, vel linguae; denudatio, vacillatio, caries dentium; spiritus male olens; pulsus plerumque debilis, raro durus, et semper fere ad motum citatus; urina rubella, foetens, et pellicula oleosa superne tecta; tibiarum dolor et tumor; dolores ventris, pectoris, vertebrarum, et musculorum omnium; orthopnoea; salivatio; lethargus aut insomnium; paralysis extremitatum; haemorrhagiae a variis locis; scabies, crustae humidae siccaeque, et cutis squamosa; pustulae, ulcera, maculae lividae saepe in gangraenam terminantes; facies lurida; febres erraticae, continuae, vel intermittentes; palpitatio

tatio cordis; oeſophagi conſtrictiones; tendinum vel articulorum rigiditas; animi dejectiones, et terrores ob nullam cauſam; ulcerum antiquorum apertura; obſtructiones, ſcirrhoſitates, ulcera et gangraena viſcerum; lipothymia; mors ſubita.

7. Debilitas oritur ab humorum putredine et nimia diſſolutione; ad robur enim corporis requiritur ſanguis nec nimis acris, nec nimis tenuis; reſpiratio difficilis, a ſumma debilitate; gingivarum tumor et ulceratio, ab obſtructione et ſalivae acredine; foetens halena, a putridis particulis per pulmones ſecretis; color luridus, a vaſis ſeroſis ſanguine diſſoluto repletis; debilis circulatio, et tumor tibiarum, a debilitate totius ſyſtematis tam arterioſi quam nervoſi; dolores, ab acribus particulis in varias partes delatis; ſalivatio, ab acri ſaliva et emiſſariis eroſis; ab acri et attenuato ſanguine, paralyſis, haemorrhagiae, maculae lividae, ulcera interna, gangraena, mors.

8. Diagnoſis perquam certiſſima ſi adſit debilitas, foetens halena, gingivae tumefactae, maculae lividae, et diſſolutus ſanguis. Scorbutus diſtinguitur ab ictero nigro, quia in illo neque os amarum, neque ſtercora porracea adſunt; a malo hypochondriaco vel hyſterico, quia haec neque maculas, neque ulcera, neque gingivas tumidas habent; a malo venereo, quia hoc oc-

cupat

cupat partes plane diverſas, viz. palatum, tonſillas, &c.; a cachexia, ob hujus flacciditatem et ulcerum immunitatem.

9. Prognoſis, niſi in ſumma corporis debilitate, vel dietae vegetabilis deficientia, bona; ſi haec adſint, incerta. In adoleſcentibus, et foeminis menſtrua patientibus, ſanabilior eſt ſcorbutus, quam in ſenibus vel debilitatis, ubi ſaepe terminatur in atrophiam, paralyſim, hydropem, dyſenteriam, apoplexiam, ſphacelationem, quae in his difficillime curantur. Alvus vegetabili dieta ſoluta, cutis mollis et humida, colorque macularum flaveſcens ſecuritatem pollicentur. Tumores erumpentes, iterumque evaneſcentes, paralyſim indicant. Tormina ventris diuturna vel tympanitidem vel mortem ſubitam praeſagiunt. Reſpiratio difficilis periculoſa. Quo gingivae magis ulcerantur, vel maculae nigreſcunt, eo ſaevior morbus. Animi deliquia imminentem mortem plerumque denunciant.

10. Medela verſatur in putridis et acribus particulis corrigendis et ejiciendis, corporeque reſtaurando.

Perficitur, 1. Leni alvi ſolutione, ſubinde repetita, cum rheo, fruct. tamarind. vel crem. tart. 2. Dieta ex vegetabilibus recentibus, lacte vel ſero lactis et pane bene fermentato, omnino praeparata. 3. Succis vegetabilium acidorum ſinceris, viz. mali aurantiae, vel citreae, acetoſae, &c.

&c. vel fermentatis, viz. vino pomaceo, Rhenano, aceto, lacte ebutyrato, &c. 4. Herbis recentibus antiſcorbuticis dictis, vel ſuccis earum expreſſis. Si calefaciant, cum acidis melius propinantur. 5. Mane aquam puram et mollem, vel ferro impregnatam, affatim bibendo, dummodo debito modo per renes ſecernatur. 6. Lenem ſudorem ſalibus volatilibus, acet. theriacal. &c. mane eliciendo. 7. Medicamentis uſu comprobatis, viz. cort. winter. herba vermiculari, ruta muraria, cheledon. min. ſummat. abietis rubr. oxymel. ſcillitic. 8. Amaris, corroborantibus, et adſtringentibus. 9. Frictione et exercitione viribus accommodata; aëre ſicco et temperato. 10. Venere, ebrietate, triſtitia, ſtudiis praecipue nocturnis, moerore, cauſiſque remotis evitatis: ab harum enim mutatione haud notata, monitum practicum, ni fallor, oritur; ſaepe ceſſaſſe ſcorbutum, deſuetis ad tempus medicamentis.

11. Ventris cruciatibus, clyſmata demulcentia; ſummis doloribus, opiata; lipothymiae, vinum meracum, ſpes, quies, et ſitus ſupinus; gingivis tumidis et dentibus vacillantibus, elix. vitriol. alumen adſtringentia et ſpirituoſa; articulorum rigiditati, fomentationes conveniunt.

12. Nautis, ubi licet, et convaleſcentibus eſt praeſidio corpus bene veſtitum habere; veſtes madidas cito exuere; pro dieta ex legumine et

ſemiputrefactis

ſemiputrefactis ſalitiſque carnibus, nonnunquam ſubſtituere juſcula ex carnibus inſulſis, ova, olera, panemque fermentatum; cereviſia cum abiete rubro confecta uti; cepa, allium, ſinapi, et condimenta ſaepe aſſumere; corpuſque exercere.

13. Quare nonnunquam tam difficilis curatu? Annon noceat mercurius? Quare febris humoribus putrefactis non ſemper adeſt? An natura putredini gradatim ſe aſſuefacit?

SECT. III.

Hydrops

1. EST extravaſatio lymphae vel fluidi ſeroſi in tunicam cellularem, vel cavitates corporis diverſas.

2. Diſtinguitur, 1. In anaſarcam vel leucophlegmatiam, aſcitem, tympanitim, hydropem pectoris et uteri, hydrocelem, hydrocephalum, aliaſque ſpecies. 2. In aſcitem veram et ſpuriam ſeu hydatides. 3. In hydropem lentum et acutum.

3. Hoc morbo maxime tentantur foeminae annum circa quinquageſimum; qui habitu corporis molli et obeſo praediti ſunt; ſenes; ſedentarii, uti ſtudioſi, ſartores, ſutores, &c. et

in humido aëre degentes, vel opus aquaticum exercentes, quales ſunt lotores et piſcatores.

4. Cauſae remotae ſunt cruda et viſcida dieta: ſpirituum fermentatorum, vini, vel cereviſiae nimia ingurgitatio: aquae frigidae potus, quando corpus incaleſcit: ſuppreſſio menſium, lochiorum vel haemorrhoidum: arthritis vel oedema retropulſa: purgantia fortiora: ſalivatio mercurialis: immoderata venaeſectio: nimis cita obturatio alvini fluxus opiatis: haemorrhagiae; dyſenteria; phthiſis; icterus; febris continua, remittens vel intermittens: graviditas: ſcirrhoſi tumores viſcerum abdominalium, ſed praecipue hepatis: polypoſae vel lapidoſae circa cor concretiones.

5. Morbum immediate producunt, 1. Glandularum vel vaſorum lymphaticorum obſtructio, dilatatio et diſruptio: cadaverum inſpectio hanc cauſam veriſimilem reddit. Tamen rariſſime ob peritonaei reſiſtentiam accidit. 2. Reſorptio fluidorum tenuium, in abdomen ſecretorum, impedita ob tumores viſcerum, praecipue hepatis, tubercula pulmonum, et polypoſas circa cor concretiones; ligaturae et compreſſiones venarum ſanguinem reducentium, tumorem oedematoſum partis in vivis animalibus producentes, hujus cauſae veritatem elucidant. 3. Sanguinis nimia ſeroſitas et vaſorum laxitas. 4. Attractio nimis valida particularum ſanguinis concreſſibilium

lium in vaſis, ſed praecipue in cavitatibus ubi ſtagnant. Haec forſitan omnium praecedentium cauſa primaria eſt. Hinc in omni hydrope eadem exiſtit cauſa proxima, nempe diminuta venarum reſorbentium imbibitio, vel minor imbibitio venarum, quam excretio arteriarum exhalantium.

6. In leucophlegmatia, corpus palleſcit et emolleſcit; pedes tument, praecipue veſperi, et veſtigia digiti comprimentis ad tempus retinent; gradatim aſcendit tumor per totam membranam cellularem; inflantur ſcrotum, penis, palpebrae, totumque corpus; aeger cibum averſatur, ſed potum appetit; dyſpnoea et tuſſi laborat; urina aquoſa et pallida; pulſuſque parvus, citatus et inaequalis; nunquam ſudat; in tibiis apparent maculae et veſiculae, quae in ulcera inſanabilia degenerant.

Aſcitis ſtipatur tumore abdominis; dyſpnoea, praecipue in lecto; gravitate; alvo plerumque conſtipata; urina pauca, craſſa, et lateritium ſedimentum deponente; tumore ſcroti; aquarum fluctuatione, ſi propriis ſaccis non continentur; exomphalo; febre lenta; putrefactione aquarum; inflammatione, ulceratione, et gangraena viſcerum abdominalium; morte. Aqua in abdomine contenta eſt vel limpida, vel inſtar loturae carnium, et ſuper ignem concreſcit.

7. Hydrops ſolvitur diarrhoea; urinae profluvio;

vio; vel diſruptione cutis in anaſarca, aut abdominis in aſcite.

8. A ſeri lentore, extravaſatione, mole, et tandem corruptione, haec oriuntur ſymptomata.

9. Dignoſcitur a graviditate aſcitis, calore pallido, ſiti, febre et fluctuatione. Quando in veſiculis continetur, diagnoſis difficilior.

10. Prognoſis hydropis, praecipue aſcitis, valde incerta. Si appetitus non deletur, ſi urina potui aequalis eſt, et albeſcit, viſceraque ſana ſunt, tunc ſecundae valetudinis ſpes eſt. Viſcera ſcirrhoſa, urina turbida et parca, ſitis, debilitas, tuſſis, evacuationes, vel morbi antegreſſi, malus corporis habitus, febris, vel recidivatio, incurabilem denunciant. Paroxyſmus comatoſus lethalis eſt. Aſcitis pejor anaſarca.

11. Huic contra itur aquam evacuando et corpus poſtea roborando.

Aquae evacuantur, 1. Purgantibus hydragogis dictis, quae et per vomitum et per ſedem operantur, ſaepe repetitis. 2. Diureſi, praecipue in phthiſicis, imbecillibus, et hyſtericis. 3. Sudoribus per externam calorem elicitis, praecipue in anaſarca. 4. Emeticis ſubinde repetitis. 5. Medicamentis attenuantibus, uti cremore tartari, R. ſcillae, &c. quae ſaepe medentur, nulla excretione aucta. 6. Obſtinata ab omni potu abſtinentia, acidis ſitim fallentibus. 7. Inciſione cutis

ſupra

ſupra talum in anaſarca, vel paracentheſi in aſcite. 8. Fonticulis profundis.

Fibrae roborantur, 1. Corroborantibus, amaris, et chalybeatis. 2. Applicationibus externis diſcutientibus. 3. Frictione. 4. Leni per faſciam compreſſione. 5. Balneo frigido. 6. Aëre ſicco, calidoque; ſomno moderato in lecto duriuſculo; corporis exercitio et concuſſione; pane heſterno, aniſato, fermentato, et in clibano bene cocto; carne ex venatione, vel ex ſiccis et aeſtuoſis locis veniente, aſſa; vegetabilibus calidis; aromatibus; vino meraco auſtero. 7. Medicinam dirigendo adverſus cauſas remotas, nempe evacuationes ſuppreſſas, nimiam ſanguinis profuſionem, arthritidem, ſcorbutum, vel viſcerum ſcirrhoſitates. Ubi convaluit aliquis, diu tamen alienus ei veneris uſus ſit.

12. Hydropem pectoris comitatur dyſpnea, orthopnea, gravitas thoracis, fluctuatio ad motum, tuſſis ſicca, nullus decubitus in latus affectum, vel ſupinus utraque cavitate repleta, oedema pedum, caeteraque aquarum collectarum ſymptomata. Tollitur evacuationibus et paracentheſi thoracis.

13. Hydrops pericardii conjicitur paucitate et colore ruberrimo urinae; ſiti; reſpiratione difficili, ſed orthopnea leviore quam in praecedente; tuſſi et voce ſicca; faciliori in latus dextrum decubitu; ſenſu gravitatis, oppreſſionis, conſtri-

ctionis et doloris circa cor praecipue post motum vel loquelam; palpitationibus; motu undulatorio circa tertiam, quartam vel quintam costam; animi defectione; pulsu debili, citato et nonnunquam intermittenti; pedum et manuum tumore oedematoso; morte subita. Morbus recens forsitan, inveterascens vix medicabilis.

14. In hydrope uteri, aqua continetur vel in ovario, vel tubo Fallopiano, vel cavitate uteri. Priores duae neque cognosci, neque curari possunt. Posterior se prodit mensium suppressione, abdominis tumore, mammarum mollitie, ad motum inabilitate, dolore, rigoribus, et febre. Tollitur balneis calidis, fomentationibus, et vaporibus emollientibus, cathetere vel pesso acri in os uteri introducto. Nonnulli perforationem oris uteri pertinaciter occlusi praecipiunt.

15. Hydrocele vel hydrops scroti oritur ab aqua collecta in tunica cellulari scroti, vel in tunica cellulari cordae spermaticae, vel in cellulis ejusdem cordae tumefactis, vel inter tunicam vaginalem et albugineam testis. Tollitur hydragogis, punctura, et medicamentis discutientibus.

16. Infantibus familiaris est hydrocephalus.* Quando in calvaria colligitur aqua, externus dicitur, et curatur discutientibus, epispasticis, cetaceis, et scarificatione. Quando aqua stagnat inter duram et piam matrem, inter piam et cerebrum, vel in ventriculis cerebri, quod plerumque

* Nunc dividitur Hydrocephalus in chronicum et acutum.

que accidit, cognoſcitur dolore, laſſitudine, triſtitia, ſomnolentia, pulſu in initio tardo et inaequali, alvo compreſſa, pruritu narium, ſtridore dentium, dolore abdominis, nauſea, facie modo rubicunda, modo pallida, comate; ad finem pulſu citato, dilatatione pupillae, acutis capitis doloribus, et convulſionibus. Malum plerumque incurabile: attamen aggrediendum evacuationibus; fontanellis; arcta capitis ligatura aromatibus impregnata, et in extremo periculo apertura.

17. Tympanites eſt flatuoſus abdominis tumor, inſtar tympani reſonans dum percutitur. Duae ſunt hujus morbi diverſae ſpecies, uti cadaverum inſpectione patet. Prior excitatur a flatibus intra cavitates inteſtinorum; poſterior a flatibus inter inteſtina et peritonaeum concluſis, et ab aquis vel viſceribus corruptis provenientibus. Prior curatur purgantibus et clyſmatibus ſpiritum digerentibus; corroborantibus; et applicationibus externis calidis: poſterior ſola punctura; neque haec votis reſpondet, ſi inteſtina ulcerentur.

18. Quare non citius putreſcit ſerum? Quare ab aqua ſubito effluente, vel ſine debitis cautelis educta, deliquium et cita mors? Quare artificialis compreſſio minuit periculum? Quare acida proſunt? Quare opiata urinae profluvium adaugent, et morbum ſaepe tollunt.

SECT. IV.

Struma, ſeu ſcrophula.

1. SCropula eſt tumor indolens, ſcirrhoſus, in in glandulis colli plerumque ſitus, et in ulcus mali moris degenerans.

2. Sedes hujus morbi praecipua, ſed non ſola, eſt glandula; occupit enim membranam adipoſam, muſculos, tendines, articulos oſſium, ipſaque oſſa. Varia ſortitur nomina ſecundum glandulas affectas. Si tument parotides vel maxillares, ſtruma; ſi ſublinguales, ranula; ſi lachrymales, lippitudo; ſi thyroidea, bronchocele; ſi glandulae axillarum, mammarum, inguinum, pulmonum, meſenterii, aliarumque partium, tunc harum partium ſcirrhus improprie appellatur.

3. Diſtinguitur, 1. In dolentem et indolentem; 2. Mobilem et immobilem; 3. Apertam et clauſam; 4. Originariam et ſymptomaticam; 5. Externam et internam.

4. Aetas tenera praecipue, ſed matura rariſſime, hoc morbo corripitur. Quaſdam prae aliis nationes, viz. Styrios, Bavaros, Helvetios, ſed pracipue Tyrolenſes, graviter infeſtat.

5. Cauſae remotae ſunt cruda, viſcida, ſaccharata, vel acida dieta; aër humidus; exercitium

cibo

cibo non proportionatum; morbi praegressi; externae injuriae; virus venereum; nutrix lac cito acescens vel viscidum praebens, morbove tentata; bilis inertia; frigus; aqua nivalis; luxatio; labes haereditaria.

6. Aciditas sanguinem coagulans haud originem praebet huic morbo; quia neque gustus neque chymia aciditatem vel seri vel tumoris detegit; immo acida tumorem discutiunt. An causa proxima sit humorum serosorum vel lymphaticorum viscíditas, glandulas conglobatas vel conglomeratas infarciens? Ita patebit, structuram et secretionem glandularum, causas remotas, symptomata, et medelam, contemplanti.

7. Torminibus ventris anomalis persaepe praecedentibus, oriuntur tubera parva, duriuscula, indolentia, mobilia, nec discoloria, fauces vel collum plerumque occupantia; sensim vero aucta vicinis partibus adhaerescunt, earumque functionem laedunt. Tandem sentiuntur dolores vagi lancinantes cum calore et cutis rubedine splendente; excitatur parva febricula; suppuratio oritur imperfecta, et post aliquot septimanas vel menses rumpitur tumor; pus crassum vel saniosum secernitur; hiat ulcus squalidum cum labris tumidis et duris. Morbo progrediente, fiunt ulcera mali moris, caries ossium, spina ventosa, anchylosis, febris hectica, hydrops, phthisis

phthiſis pulmonalis, ſudores colliquativi, maraſmus, mors.

A glandula thyroidea tumefacta, ſuffocatio et fames. Inſpectiones cadaverum oſtendunt omnes internas glandulas, praecipue meſentericas, eſſe ſtrumoſas.

8. Tormina ventris a glandulis meſentericis obſtructis oriuntur. Glandulae ſalivales praecipue afficiuntur, quia frigori, compreſſioni, et contrectationi maxime ſubjiciuntur. Facies rubet ob venarum ſanguinem a capite reducentium compreſſionem. Indolentia tumoris tardae vaſorum diſtentioni debetur. Pus non efficitur blandum, quia humores peccant et motus deficit. Vaſa cutanea, adhuc a ſcirrho compreſſa, labra tumida efficiunt. Ab humoribus in vaſis ſtagnantibus, caries, ulcera caeteraque ſymptomata.

9. Pubertate, primis coitibus, vel in foemina primis menſtruis, ſaepe ſolvitur hic morbus.

10. Diagnoſis ſcrophulae externae oculis patet; internae, a ſymptomatibus petenda eſt.

11. Scrophula, quamquam incurabilis, haud periculoſa eſt. Externa, a laeſionibus ortum ducens, mobilis, parva, benigna, et a vaſis vel nervis libera, facilius medelae cedit, quam interna, humorum vitiatorum proles, immobilis, magna, maligna, et vaſis vel nervis affixa. Omnino incurabilis eſt haereditaria. Diatheſis

ſcorbutica,

ſcorbutica, rachitica, vel venerea, malum atrocius reddit. Nonnunquam in cancrum tranſit.

12. Scopus medici eſt, 1. Humorum dyſcraſiam corrigere: 2. Tumorem tollere. Prior poſteriori ſubſervit.

Cachexia corrigitur, 1. Evacuationibus, uti phlebotomia ſemel celebrata, vomitorio, et purgantibus amaris vel mercurialibus unaquaque ſeptimana repetitis. 2. Reſolventibus quae modice ſtimulant, quales ſunt ſapones nativi et factitii; vegetabilia aromatica; aq. calcis; ſales alkalini fixi, uti ſal. abſynthii, ſpongium ad nigredinem uſtum, ſi non adſit hectica diſpoſitio; mercurii praeparationes alterantes dictae; ferrum et aquae chalybeatae; ſulphur, aquae ſulphureae, imprimis Moffatenſes noſtrae; cortex Peruvianus; antimonium, ejuſque praeparationes; aqua marina quotidie mane hauſta, ita ut alvus bis vel ter ſolvatur; aliaque remedia decantata. 3. Fonticulis prope tumorem. 4. Dieta eupepta et exſiccante, evitatis alimentis viſcidis; ſomno moderato, exercitio, et frictionibus, aëre calido et ſicco.

13. Tumor tollitur, 1. Medicamentis externis reſolventibus ſub forma vaporis, embrocationis, cataplaſmatis, vel emplaſtri. 2. Suppurantibus, ſi ad ſuppurationem tendit natura. 3. Cauſticis vel ferro, ſi nullum a partibus vicinis adſit periculum.

14. An

14. An finitur ſtruma annum circa decimum quintum ob vires ſolidorum auctas, vel ob quaſdam fluidorum mutationes per naturalia inductas? Unde ortum duxit tactus regius, et quid de eo cenſendum?

SECT. V.

Carcinoma vel cancer.

1. QUando ſcirrhus degenerat in tumorem inaequalem, lividum, lancinantem, cum vaſis circumcirca varicoſis, carcinoma vel cancer appellatur.

2. Aliquando, nullo antecedente ſcirrho, oritur in labiis, gingivis, lingua, pene, aliiſque corporis partibus.

3. Diſtinguitur in cancrum occultum, quando adhuc ſub cute deliteſcit; et exulceratum, quando ulcus comitatur.

4. Praecipua, ſi non unica cancri ſedes, eſt glandula: cancri enim cutaneas excreſcentias vel verrucas infeſtantes, a glandulis ſubcutaneis mucoſis oriri videntur.

5. Cauſas haſce remotas agnoſcit, viz. evacuationes ſuppreſſas; moerorem et terrorem et iram; dietam, vel medicamenta, vel morbos acredinem in ſanguine generantes; motum ſanguinis

guinis a quacunque cauſa auctum; ſterilitatem; coelibatum; frigus; irritationem externam a frictione, compreſſione, eryſipelate, vel medicamentis.

6. Neque ab humore atrabilario aduſto, neque ab acido corroſivo praevalente, oritur cancer. An cauſa proxima ſit ſpecifica putrefactio, vel corruptio, quanquam tarda, humorum glandulas obſtruentium? Hoc teſtantur cauſae remotae, indoles humorum glanduloſorum, et ſanies a cancro ſecreta.

7. Cancer ſeſe prodit pruritu; calore; dolore lancinante; colore rubro, livido, atro; tumoris augmento; venis tumefactis, varicoſis, et nigris; duritie inaequali, ſcabra; apice eminente. Stadium occulti cancri.

Tunc ſupervenit ulcus apertum; ſanies foetida, cadaveroſa, nigra, vel fulva, ſumme acris, vicinaſque partes erodens; radices in altum demiſſae; caro in ulcere ſpongioſa; labia tumida, livida et inverſa; dolor exquiſitus; glandularum vicinarum infarctiones; haemorrhagiae; appetitus proſtratus; anxietas; febris lenta; extenuatio; virium proſtratio; inſomnia; convulſiones; deliquia; mors optata. Stadium cancri exulcerati.

8. Inchoata lenta putrefactione, leniter ſtimulantur nervi, et fit pruritus. Augetur fluxus ſanguinis ad ſcirrhum; inde calor. Tenduntur

nervi;

nervi; hinc dolor. Color tumoris gradatim nigrescit, ut in omni putredine accidit. Vasa cutanea comprimuntur aucto tumore; et sanguis crassus, tenuissima parte trajecta, ibi remanet; hinc venae varicosae et atrae. Acuminatus fit, ob minorem integumentorum resistentiam. In apice distenduntur magis vasa, ergo ibi rumpitur tumor. Putrefactio humorum ab aëre magis intenditur; hinc humores magis corrosivi. Inferne eroditur tunica glandulae, et radices undequaque demittit. Materia acris, a vasis lymphaticis absorpta, in glandulas vicinas deponitur, et obstructiones ibi gignit. Venae erosae sanguinem evomunt. Sanies absorpta sanguinem contaminat; hinc febris lenta, marasmus, convulsiones, lipothymia, mors.

9. Diagnosis cancri incipientis ex pruritu, colore, et dolore petitur: antiqua oculo patet.

10. Prognosis periculosissima. Internus pejor externo. Quo prior sit cordi, quo nobilior pars affecta, eo magis desperatae sunt res. Humores blandi malignitatem morbi opponunt. Incurabilis est, si inter vasa majora, vel ad os radices egerit. Progressus aestimatur colore odoreque saniei, et haemorrhagiis. Mors fluxum saniei desinentem sequitur. Quando febre, convulsionibus, vel lypothymia corripitur aeger, ad extrema ventum est.

11. Methodus medendi vel curatoria, vel palliativa

liativa eſt. Cancer incipiens, parvus, ſolitarius, mobilis, ab externa injuria praecipue proveniens, loco apto ſitus, neque vaſis magnis, nervis, ligamentis, vel oſſibus adhaereſcens, in juvenili corpore, haud fracto, euchymo, tollendus ferro potius quam eſcaroticis vel cauteriis: diſcuti enim vel ſuppurari per remedia ſueta nullo modo poteſt.

Corpus ante operationem blanda et nutriente dieta praeparandum; et humores poſtea alterantibus diu aſſumptis corrigendi.

Cancer ob contrarias dotes operationi ineptus, medelam palliativam ſolummodo admittit. Abſolvitur ſanguinem corrigendo venaeſectione, purgantibus leniſſimis, alterantibus non ſtimulantibus. 2. Embrocationibus, unguentis, et emplaſtris ſaturninis, ad cancrum occultum vel exulceratum externe applicatis. 3. Fonticulis prope locum affectum. 4. Dieta putrefactioni oppoſita, et ſumma quiete. 5. Mitigatione doloris per opiata.

12. Cancer palati, faucium, uteri, caeterarumque internarum partium palliativam medelam ſolummodo admittit.

13. Saepe proficit in cancro faciei naſique mercurius ſublimatus corroſivus in ſpir. vini ſolutus, et ad grani dimidium mane et coenato hauſtus. Nonnunquam mammarum carcinomati reſpondet infuſio ſolani.

14. Quid

14. Quid de exesione cancri per arsenicum edulcatum censendum?

PARS SECUNDA.

De cerebri nervorumque morbis.

SECT. I.

Apoplexia.

1. APOPLEXIA est privatio sensuum internorum et externorum, motusque animalis, excepto motu cordis et thoracis, cum stertore.

2. Distinguitur, 1. A gradu morbi. 2. A causa, nempe in sanguineam, serosam, polyposam, &c.

3. Desides, obesos, plethoricos, brevem cervicem habentes, potatores, praecipue sexagesimum circiter annum, infestat. Hyeme et tempestatibus pluviosis grassatur. Aliquando epidemica est.

4. Causae remotae sunt laxa et plethorica constitutio; balnea nimis calida; nimia spirituum fermentatorum ingurgitatio; subita refrigeratio

post

poſt pocula vel crapulam; inſolatio; animi pathemata; affectiones hyſtericae; ſeroſa colluvies; libidinis, praecipue ſenilis, intemperantia; acris materiae repulſio; urinae ſuppreſſio; ſalivatio mercurialis a frigore aliiſve cauſis ſubito interrupta; contuſiones, convulſiones, et vulnera capitis; venena; halitus carbonum; labes haereditaria.

5. Cauſa proxima eſt impedita actio vis nervoſae. Obſtructio fit a cauſis intra vaſa vel extra vaſa cerebri exiſtentibus. Cauſae intra vaſa ſunt nimia ſanguinis vel ſeri viſcidi quantitas: aër elaſticus immiſſus, vel a ſanguine extricatus, et vaſa cerebri obſtruens et diſtendens. Cauſae extra vaſa ſunt effuſiones ſanguinis, ſeri, aliorumque humorum a concuſſionibus, vulneribus, vaſis eroſis, hydrope: compreſſiones a tumoribus, hydatidibus, vel corporibus extraneis: impedimenta ſanguini a cerebro redeunti ob tumores, polypum vel ligaturas. Conſpectui ſubjiciuntur hae cauſae in cadaveribus. An ſpaſmus in origine nervorum inter cauſas proximas enumerandus ſit? Haudquaquam; quia muſculos, non nervos, ſpaſmus adoritur.

6. Paroxyſmum praegrediuntur torpor ſenſuum internorum et externorum; vocis tarditas; vertigo; capitis dolor; tremor et ſtupor extremitatum; dentium ſtridor; hypochondriacae et hyſtericae affectiones; incubus; oculorum ſpon-

taneae illachrymationes; aurium tinnitus; respiratio solito profundior.

Corruit aeger subito cum abolitione functionum animalium; difficili respiratione; extremitatum frigore; cutis arescentia; faciei rubore; arteriarum forti pulsatione; somno profundo; stertore; aliquando spuma circa os; et resolutione sphincteris vesicae anique. Tandem corripitur vomitu, et paroxysmus solvitur copioso sudore. Saepe remanet haemiplegia vel paralysis.

7. Praedicta symptomata facillime deducuntur a fluido nervoso gradatim intercepto. Manet respiratio et cordis motus, quia intactum est cerebellum.

8. Diagnosis facilis a lethargo, quia nulla adest somnolentia, neque excitari potest; a caro, ob difficilem respirationem et stertorem; et a syncope, quia pulsus non deficit. Sanguinea distinguitur a serosa, progresso habitu, et praesentaneis inflammationis signis.

9. Prognosis eo prosperior, quo minus laesi sunt sensus externi et interni, motus et respiratio. Apoplexia sanguinea periculosa, sed curatu facilior est; serosa difficillime curatur. Spiritus impeditus, spuma oris copiosa, sudor multus frigidiusculus, mortem instantem demonstrant. Apoplexia a compressione cito lethalis, nisi manus chirurgica in auxilium veniat. Apoplexia serosa, febre; sanguinea, haemorrhoidibus supervenientibus,

tibus, ſolvitur. Quartum poſt diem paroxyſmus plerumque fit lethalis. Quo plenior et fortior pulſus, eo in acriore periculo verſatur aeger.

10. Indicatio eſt cerebri obſtructionem reſerare. Secundum diverſitatem cauſae obſtruentis, diverſimodo perficitur.

Si obſtructio oritur a nimio ſanguine cerebrum opplente, tollitur, 1. Larga miſſione ſanguinis ex jugularibus vel arteria temporali. 2. Cucurbitulis occipitio inciſo admotis. 3. Epiſpaſticis. 4. Purgantibus antiphlogiſticis continue repetitis. 5. Clyſmatibus emollientibus. In hac ſpecie evitari debent calefacientia.

Si obſtructio oritur a ſero nimis viſcido, tollitur, 1. Revocando a cerebro. 2. Corrigendo lentorem.

Revocatur, 1. Venaeſectione, parca manu celebranda, vel hirudinibus temporibus applicatis. 2. Vomitu. 3. Clyſmatibus et purgantibus acerrimis. 4. Spiritibus volatilibus et ſternutatoriis naribus applicatis. 5. Pediluviis. 6. Actuali cauterio cervici admoto.

Lentor corrigitur, 1. Epiſpaſticis continuatis. 2. Attenuantibus et calefacientibus. 3. Cibis mediae materiae; nam et viribus opus eſt, et cruditates cavendae ſunt.

In utraque ſpecie convenit ſitus erectus, moderatus calor, ſtragula pauca.

Si denique obſtructio fit ab humoribus, vel a-

liis corporibus comprimentibus, totus medelae cardo verſatur, 1. In inanitatione vaſorum. 2. Extractione cauſae chirurgica.

11. Medicina prophylactica, apoplexiae ſanguineae evacuationibus et temperantia; apoplexiae ſeroſae dieta exſiccante, purgantibus amaris debitis intervallis repetitis, et ſetaceis, innititur.

12. Cur, ſenſu motuque decreſcentibus, pulſus ſaepe validior fiat?

SECT. II.

Morbi Soporoſi.

Coma ſomnolentum ſeu cataphora, lethargus, carus, et coma vigil.

1. MOrbi ſoporoſi leviores ſunt apoplexiae; et in coma ſomnolentum ſeu cataphoram, lethargum, carum, et coma vigil, dividuntur.

2. Coma ſomnolentum ſeu cataphora eſt ſomnus profundus; a quo tamen aeger excitari poteſt, ſine febre.

Lethargus, ſeu veternus, eſt continua ad ſomnum propenſitas, cum oblivione, caloris augmento, febre lenta, pulſu pleno et ſaepe remittente,

tente, reſpiratione rara, pallore et tumore palpebrarum, et ſudore frigido in extremitatibus.

Carus eſt ſomnus profundior, in quo ſenſu motuque fere privatur aeger. Vel idiopathicus ſine febre, vel ſymptomaticus cum febre.

3. Cauſae remotae ſunt ſeroſa colluvies cerebrum inundans; ſanguis effuſus, vel tumor intra cranium; lotium interruptum; cachexia; ſcorbutus; moeror; potus; crapula; nicotianae nimius uſus; effluvia.

4. Influxus vis nervoſae in nervos, motibus voluntariis et ſenſationi dicatos, plus minus impeditus, morborum ſoporoſorum cauſa proxima eſt.

5. Urina limpida, diarrhoea aquoſa, tremor, et ſudores frigidi, non leviter nos terrere debent. Criſis ante ſeptimum diem in lethargo plerumque infauſta; ſed poſtea plerumque fauſta eſt. Quo major pulſus, eo periculoſior morbus. Carus cum reſpiratione laeſa, apoplexiam, cum cephalalgia, convulſionem, denotat.

6. Curantur, 1. Excitando aegrum e ſopore odore foedo, ſtimulantibus, cataplaſmatibus, et clyſmatibus acerrimis, ſternutatoriis, veſicatoriis, ſcarificatione, frictione. 2. Stagnationem vel extravaſationem removendo venaeſectione, purgantibus, et cibo ſorbili. 3. Paroxyſmi reditum impediendo evacuationibus ſtatis temporibus re-

petitis, dieta exſiccante, ſomno moderato, exercitio, recreationibus.

7. Coma vigil eſt ſpecies ſtuporis ſine ſomno, cum dolore et calore capitis.

SECT. III.

Paralyſis.

1. PAralyſis eſt abolitio, vel diminutio motus, aut ſenſus, aut utriuſque, in uno vel pluribus partibus corporis.

2. Diſtinguitur, 1. In αναισθησιαν, ubi deficit tantum ſentiendi vis; et paralyſin, ubi motus ſine vel cum ſenſu labefactatur. 2. In paraplegiam, hemiplegiam, et paralyſin localem, uti extremitatum, linguae, palpebrarum, oeſophagi, ſphincteris veſicae et ani, penis, &c.

3. Cauſae remotae ſunt ebrietas; indoles humorum ſcorbutica; colica pictonum; aër frigidus vel humidus; aqua vel pus inter meninges effuſum; vulnera cerebri, vel medullae ſpinalis; compreſſio externa; unitas nervi ſoluta; evacuationes ſolitae ſuppreſſae; apoplexia et convulſio; terror ſubitus; fumi mercuriales, arſenici et ſaturnini; tactus piſcis torpedo appellati; ſenium.

4. Cauſa proxima eſt interceptio influxus vis nervoſae

nervosae in musculos, ab obstructione cerebri in parte, medullae oblongatae, medullae spinalis, vel nervorum. Ab intercepto sanguine, temporanea, vix vera paralysis, oriri potest; hoc patet a distributione, anastomosique vasorum, et operatione aneurismatis.

5. Antecedit partis passurae gravedo, pallor, stupor et tardus motus. Pars affecta motu vel sensu, vel utroque plus minus privatur, et mollis, frigida, atrophica, vel oedematosa devenit. Pulsus plerumque parvus, mollis et tardus, interdum creber et inaequalis. Tandem memoria et ratio labascunt. Paralysis particularis functionibus partium laesis sese monstrat.

6. Diagnosis loci primario affecti petitur ab injuriis externis et cognitione ortus, progressus, et distributionis nervorum.

7. Paralysis, ab apoplexia ortum habens, in apoplexiam saepe revertitur. A sectione vel luxatione valida, vel ab ictu derepente orta, vel ubi pars diminuitur, insanabilis. Dolor, sensatio, calor vel formicatio partis, aut tremor superveniens, securitatem pollicentur. Febris vel diarrhoea saepe paralysin solvunt.

8. Medela requirit, ut libera actio vis nervosae per suos nervos iterum restituatur. Perficitur, 1. Venaesectione, si in habitu plethorico juvenili, vel a causis remotis inflammatoriis morbus subito ingruat; aliter sanguis haud mittendus.

dus. 2. Purgantibus et clyſmatibus acrioribus diarrhoeam continuam per plurimos dies excitantibus: quanquam methodus haecce in ſenio non uſurpanda. 3. Fonticulis prope caput. 4. Febrem temporaneam excitando medicamentis ſtimulantibus, calefacientibus, et attenuantibus. 5. Emeticis ſaepe repetitis et ſternutatoriis. 6. Thermis vel aquis ferrugineis. 7. Externis ad ſedem mali applicationibus, viz. urticatione, epiſpaſticis, frictione, electriſatione, linimentis nervinis, balneis calidis, vel natura vel arte paratis. 8. Dieta calefaciente cum aromatibus praeparata, ſomno mediocri, motu multo, aëre calido et ſicco. Vitare frigus, et rariſſima venere uti, convenit.

9. Stupor et tremor paralyſi affines ſunt, eodumque modo curantur.

SECT. IV.

Epilepſia.

1. MOrbus epilepſia, vel ſacer, vel puerilis, vel Herculeus, vel comitialis dictus, eſt repentina privatio internorum et externorum ſenſuum, cum ſubitis violentibuſque alternis contractionibus et relaxationibus muſculorum totius

ſerę

fere corporis, motibusque partium exinde convulsivis.

2. Distinguitur in idiopathicam, quando primaria morbi sedes in capite; et symptomaticam, quando sedes primaria extra caput est.

3. Infantes, praecipue delicati, et defluctionibus capitis, haemorrhagiis vel tinea laborantes, huic morbo maxime sunt obnoxii. Saepius viros quam foeminas occupat.

4. Causae remotae sunt externae capitis injuriae, uti vulnera, percussiones, fracturae cranii; aqua, sanguis, vel serum acre, cerebrum inundans, vel ventriculos opplens; inflammatio vel sphacelatio cerebri; concretiones, vel polypi intra cranium; erosiones, dilacerationes, vel vulnera nervorum; evacuationes solitae retentae; repletio et inanitio; animi pathemata magna, et praecipue subitus metus; noxiae particulae in corpus admissae; venena; labes haereditaria.

5. Neque irae antiquorum coelesti, neque pituitae, neque specifico fermento, neque explosioni violenti fluidi nervosi, neque contractioni durae matris, attribuenda est causa proxima. An in motibus vis nervosae involuntariis et inaequalibus, ab irritatione generis nervosi provenientibus, investiganda sit? Ita suadent contemplatio causarum remotarum, inspectiones cadaverum, symptomataque.

6. Paroxysmum aliquando antecedunt lassitudo;

do; ſtupor; vertigo; dolor capitis; ſcotoma; aurium tinnitus; inſomnia horrenda; palpitatio; reſpiratio difficilis; tumor et murmura abdominis; urina multa, et praeter ſolitum tenuis; facies pallida; lingua titubans; frigus extremitatum; ſenſuſque aurae frigidae ad caput aſcendentis.

Invadente paroxyſmo, convulſus ſubito concidit cum vociferatione, oculorum contortione, digitorum contractione, ſtertore, ſpumo oris, extremitatibus hinc inde curvatis. Perit ratio et ſenſatio. Inſcio elabuntur ſemen, urina, foeces. Remittentibus ſymptomatibus, ad ſe redit, et dolorem capitis, torporem, et laſſitudinem ſentit. Peractae tragoediae inſcius eſt.

Paroxyſmi ſtatis temporibus quandoque redeunt; vel ab animi motibus, ſtudiis nimiis, poculis, caliditate vel frigiditate, inducuntur. In morbi progreſſu ſenſus hebeſcunt, et ratio vacillat.

7. Ex motu involuntario et irregulari vis nervoſae, facile deducuntur haec ſymptomata.

8. Diagnoſis viſui patet.

9. Prognoſis incerta. Saepe ſolvitur hic morbus a pubertate, intermittentibus febribus, et eruptione cutanea. Solet quidem etiam longus eſſe, uſque ad mortis diem, et vitae non periculoſus. Sympathetica facilius curatur quam idiopathica: haereditaria vix medelae auſcultat. Morbus poſt

quintum

quintum et vigesimum annum ortus aegre, post quadragesimum aegrius curatur. Si nullus in partibus venientis mali sensus est, aut mens laesa, aut nervorum facta resolutio, vix sanatur. Si breves sint intermissiones, convulsiones saevae, respiratio difficilis, stertor vehemens, et postea alta quies, aeger in pessimo versatur statu. Epilepsia in apoplexiam saepe degenerat.

10. In paroxysmo scopus est convulsiones sedare. Perficitur, 1. Venaesectione in vena jugulari, si non adsint inanitio vel debilitas. 2. Revellentibus, uti frictionibus, ligaturis extremitatum, vesicatoriis, cataplasmatibus, et sternutatoriis. 3. Antiepilepticis et antispasmodicis per anum injectis, vel capiti et spinae sub forma unguenti applicatis. 4. Tollendo causas remotas immediate in cerebrum agentes, quales sunt depressiones, fracturae cranii, vel corpora extranea.

In intermissione scopus est paroxysmum impedire. Perficitur, 1. Antiepilepticis, vel specificis sic dictis medicamentis. 2. Evacuationibus per intervalla repetitis. 3. Fonticulis et setaceis. 4. Systema nervorum corroborando. 5. Causam primariam in epilepsia symptomatica tollendo; vomitu, si oneratur ventriculus; et ligaturis, vel empl. epispasticis, si ab irritatione partis cujusdam, ipso loco applicatis. 6. Aëre temperato et sicco; cibo eupepto et aromatibus condito;

condito; ſomno moderato; evitatis animi pathematibus, venere, objectorum moventium vel terrentium locive praecipitis conſpectu, balneo, igni, frigore, vomitu, laſſitudine, omnibuſque negotiis.

SECT. V.

Convulſiones.

1. CONvulſiones, ſpaſmi, vel diſtentiones nervorum ſunt alternae et involuntariae contractiones relaxationeſque muſculorum, animi facultatibus et ſenſibus externis integris. Eaſdem agnoſcunt cauſas remotas et proximas, gradu ſolummodo diverſas, ac epilepſia, et eodem modo curantur.

Spaſmus cynicus vel riſus Sardonicus.

2. Quando hae convulſiones occupant muſculos buccarum vel labiorum, tunc ſpaſmus cynicus, vel riſus Sardonicus appellantur. Haud diverſam a priore medelam requirit.

Chorea ſancti Viti.

3. Eſt et alia convulſionis ſpecies, chorea ſancti

cti Viti nominata, ubi crus claudicatione, et brachium ejusdem lateris convulsione corripiuntur. Sanatur hic morbus repetita venaesectione et purgatione, cum antiepilepticis et roborantibus, viz. Cort. Peruviano, chalybeatis, et balneo frigido. Confert musculis convulsione affectis admovere secundo quoque die cucurbitulas siccas.

SECT. VI.

Tetanus, opisthotonos, emprosthotonos.

1. TEtanus est continua et involuntaria musculorum fere omnium contractio et rigiditas, sine relaxatione. Si nonnullis intactis trahitur corpus versus anteriora, emprosthotonos; si versus posteriora, opisthotonos appellatur. Posteriores a priore gradu solummodo distinguuntur.

2. Hoc malum in calidissimis terrae regionibus endemice grassatur, praecipue tempestatibus pluviosis aestui succedentibus. Rarissime plagas coeli mitioris infestat.

3. In tetano musculi anteriores et posteriores aequaliter contrahuntur, et corpus instar ligni riget. Spasmus sub sternum, ad spinam vergens, sentitur. Dolores, praecipue spasmis saevientibus, acutissimi deveniunt. Facies rubet et detorquetur.

detorquetur. Genae retrahuntur. Oculi rigent. Mandibula nonnunquam obſeratur. Pulſus ſaepiſſime praeternaturaliter tardus eſt. Sanguis detractus minus ſolito cohaeret. Alvus conſtipatur. Reſpiratio fere intercipitur. Actiones naturales tantum non ſupprimuntur, ſenſibus externis et internis integris. Coſtae incurvantur. Vitio depulſo, ſumma ad longum tempus atonia.

4. In opiſthotono et emproſthotono, cervix primo immobilis eſt; dein ſpaſmis ſaevientibus, retrorſum in priore, et antrorſum in poſteriore, convellitur. Motus mandibulae et deglutitio impeditur. Spaſmus ſub ſternum ſpaſmos ſeveriores inducit. Pulſus alias tardus et durus, alias parvus, fluctuans, et irregularis. Lingua riget. Os ſpuma ſanguinea ſcatet. Muſculi ſpinae et inferiorum extremitatum, intactis ſuperioribus, in conſenſum trahuntur. Tandem ſpaſmis ſeverioribus, vel inſultu epileptico, aeger explet mortalitatem.

5. Morbi periculoſiſſimi ſunt, et rariſſime, niſi ubi leniter adveniunt, tertium diem tranſgrediuntur. Ex acerbitate primi inſultus periculum judicatur.

6. Auxilium eſt, 1. In ſanguinis miſſione, ſi vires patiuntur. 2. In medicamentis antiepilepticis. 3. In aqua tepida per anum injecta, fomentationibus muſculis rigidis externe applicatis, vel balneis tepidis manufactis. Sed, 4. Praecipue

cipue in opio intrepide adminiſtrato, et brevioribus intervallis, prout dolores admonent, ſubinde repetito. Unicus quem vidi tetanus, multis abhinc annis, opio, omnibus incaſſum tentatis, extemplo ſummotus fuit.

Vires poſtea reſtaurandae cort. Peruviano.

SECT. VII.

Cataleptſis.

1. CAtalepſis, ſeu catechus, morbus dicitur, quando fixus remanet aeger in eodem ſtatu in quo prehenſus fuit, ſenſibus internis et externis abolitis.

2. Cauſae remotae ſunt, animi pathemata; meditatio ſeria; frigus; evacuationum ſuppreſſio; vermes; vapor carbonum; ſeroſa colluvies intra cranium.

3. Cauſa proxima eſt fluxus liquidi nervoſi in nonnullos, et quies in omnibus aliis nervis.

4. In quo ſtatu correpti ſunt, vel ſedentes vel ſtantes, eundem immoti ſervant. Oculi aperti rigent. Senſus externi et interni pereunt. Pulſus et reſpiratio bene ſe habent. Cum multis ſuſpiriis ad ſe redeunt.

5. Curatur ſanguinis vel a naribus vel vena jugulari detractione; ſtimulantibus naribus applicatis;

plicatis; cataplaſmatibus et clyſmatibus acribus; epiſpaſticis; frictione; et, poſt paroxyſmum, ſetaceis, vomitu, et cauſarum morbum producentium correctione vel ablatione.

SECT. VIII.

Malum hyſtericum.

1. HYſterica paſſio, ſuffocatio uterina, aſcenſus uteri, ab antiquis deſcribitur.

2. Saevit in foeminas, praecipue innuptas vel viduas; ſedentarias et molles; acutas et facile irritabiles.

3. Cauſae remotae ſunt, nimia humorum evacuatio per venaeſectionem, vomitum, ſedem, menſtrua, vel abſtinentiam; nimia retentio menſium et lochiorum, vel evacuationes ſolitae neglectae; pubertas, et ad venerem impermiſſam proclivitas; vita ſedentaria; animi commotio; dieta viſcoſa, acida, flatum generans; praegreſſi morbi; labes haereditaria. Paroxyſmum inducunt ſuaveolentia.

4. Cauſa proxima haud inveſtiganda eſt in uteri aſcenſu, vel vaporibus hinc ad cerebrum delatis, vel viſceribus abdominalibus atra bile obſtructis, vel periſtaltico inteſtinorum motu inverſo, vel in fluido nervoſo in genere affecto.

An

An eſt ſpaſmodica viſcerum abdominalium, et praeſertim uteri, affectio, una cum nimia ſenſibilitate vel mobilitate ſyſtematis nervoſi? Hoc ſuadent contemplatio cauſarum remotarum, ſymptomatum, et medelae, ſectioneſque cadaverum.

5. Sic ſe habet paroxyſmus: Primo ſentitur dolor coarctans in fronte; ſenſuum hebetudo; viſus obnubilatio; taedium. Afficitur aeger ſenſatione globi aſcendentis ad fauces cum ſuffocatione; palpitatione cordis; inaequali et conſtricto pulſu; vomitu materiae acidiſſimae, vel bilis viridis; reſpiratione difficili; clavo hyſterico; renum et veſicae doloribus inſtar calculi; odontalgia; dolore in dorſo; difficili mictione; ſummo externarum partium frigore; ptyaliſmo; flatu; tumoribus; riſu vel ploratu effuſo; urina multa limpida; animi irritabilitate; apoplexia; convulſionibus.

Ventris murmura, sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum & fauces ascendentis ibique strangulantis. Sopor, convulsiones. Urina limpida copia profusa; animus nec sponte varius et mutabilis. – Cullen

Remittente paroxyſmo, remittunt cito ſymptomata. Inteſtina obmurmurant; oculi attolluntur; corpus incaleſcit; et aeger, ſuſpiriis profunde emiſſis, ad ſe redit. Saepe ſudoribus ſolvitur paroxyſmus.

6. A ramis paris octavi et intercoſtalis aliquo modo irritatis proveniunt globus hyſtericus, ſuffocatio, palpitatio cordis, vomitus, dolor renum, urina limpida, ſtranguria, flatus, externorum frigus, &c.: dolor dorſi, a communicatione horum nervorum cum dorſalibus: ptyaliſmus et odon-

talgia, a quinto pari consentiente: a toto genere nervoso affecto, clavus hystericus, risus et lachrymae effusae, animi irritatio, apoplexia, convulsio.

7. Diagnosis petitur a symptomatibus, praecipue urina limpida et suffocatione; a paroxysmo, animi motibus, vel effluviis suaveolentibus, excitato, et graveolentibus fugato. Differt a syncope, apoplexia, epilepsia, calculo, iliaca passione.

8. Prognosis eo magis fausta, quo mitiora sunt symptomata. Paroxysmo aliquando rapitur aeger. Evacuationes mensium vel haemorrhoidum criticae morbum tollunt. Rugitus et pudendi humiditas paroxysmum cito abiturum demonstrant. Originem praebet hoc malum scirrhosis viscerum obstructionibus et putrefactionibus; hydropi; asthmati; febri hecticae.

9. In paroxysmo, indicatio est irregularem spirituum fluxum et spasmum consopire. Perficitur, 1. Venaesectione, si adsit plethora, vel evacuationum obstructio. 2. Stimulantibus et hystericis medicamentis. 3. Frictionibus extremitatum. 4. Pediluviis. 5. Titillatione plantarum. 6. Clysmatibus spiritum digerentibus. 7. Opium adhibendo, praecipue in dolore acuto vel vomitu atroci.

Extra paroxysmum systema nervosum corroborandum, 1. Amurcam expellendo lenissimo

vomitorio

vomitorio et purgantibus. 2. Amaris et corroborantibus. 3. Equitatione. 4. Ferro vel aquis ferrugineis. 5. Antiſpaſmodicis et hyſtericis. 6. Dieta lactea, ſi antedicta nil proficiunt.

Evacuationes repreſſae ſollicitandae ſunt. Cibus ſtatulentus evitandus.

Si ab orgaſmo uteri oritur morbus, tollitur antiphlogiſticis, matrimonio.

10. Quare tam difficile curatu? Quare ruſticis et laborantibus minus familiare eſt? Quare hiſce temporibus tam commune?

SECT. IX.

Inſania.

1. INſania eſt mentis alienatio, vel delirium perdurans, ſine febre.

2. Diſtinguitur, 1. In melancholiam et maniam; prior eſt inſania cum triſtitia et occupatione mentis circa unum objectum; poſterior eſt inſania cum furore. Diverſi videntur gradus ejuſdem morbi. 2. In continuam et periodicam.

3. Hebetes, tarde diſcentes facileque iterum obliviſcentes, et triſtes, melancholia; iracundi, hilares, juvenes, plethorici, tenſaſque fibras habentes, mania tentantur.

4. Temporibus calidiſſimis et ſicciſſimis oritur hoc malum.

5. Cauſae remotae ſunt nimia et continua animi attentio ad unam ideam; animi pathemata cogitationes omnino occupantia, uti moeror, triſtitia, metus, ſpes, gaudium, praecipueque amor; religionis falſae terrores; immodica venus; venena narcotica; morbi febriles praegreſſi; evacuationes debitae ſuppreſſae; alimenta dura et viribus concoctricibus haud attenuanda; vita ſedentaria; pia mater calloſa; cerebrum ſiccatum; labes haereditaria.

6. An ſanguis ater, craſſus, tenax, atra bilis ab antiquis appellatus, afficiendo ſyſtema nervoſum, cauſa ſit proxima melancholiae et maniae? Huic opinioni fidem faciunt accuratae cadaverum inſpectiones, operatio cauſarum remotarum, et medela.

7. Sedes hujus morbi praecipua eſt in ipſo cerebro, uti teſtari videtur haec pars, praecipue ejus medullaris ſubſtantia, fibrillae nervoſae, et medulla oblongata, firmior, durior, et ſiccior in morbidis indagationibus. An cauſa vel effectus morbi, reiteratis obſervationibus ſtabiliendum eſt?

8. In melancholia aeger moeſtus; abjectus; pavidus; inſomnis; hominum coetus fugiens; ad iram ſine cauſa pronus; mutabilis; de minimis rebus ſollicitus; nunc avarus, ſtatim prodigus,

gus. Venter conſtipatur. Urina parca et pallida prodit. Praecordia flatu attolluntur. Vomitu rejicitur acris materia. Facies palleſcit. Arteriae pigre moventur. Alimenta avide appetuntur. Imaginatio tantum pervertitur, ut vaſa fictilia, vitrea, immo mortuos ſeſe credunt. Quod triſtiſſimum eſt, ſibi ipſis manus inferre expetunt.

Maniam praecedunt oculi rubentes; palpebrae inconſtanter vibrantes; mores a ſolitis mutati; ſuperbia; odium erga hunc aut illum; dies noctesque inſomnes; cephalalgia; aurium tinnitus et ſonitus muſicus; riſus intempeſtivi. Procedente morbo, in iram effrenem et truculentam incidunt: obvios vel ſeipſos lacerant: venerem egregie et immodeſte appetunt: vires et frigoris tolerantia mirum in modum augentur: imaginatio egregie vitiatur. Tandem, paroxyſmo declinante, moeſti, quieti et ſtupidi fiunt.

Inſania ſaepe fugat alios morbos antea in corpore inhaerentes, et aegrum immunem a graſſantibus ſervat.

9. A craſſo et tenaci ſanguine vaſa cerebri implente, et liquidum nervoſum, craſſum, tenaxque producente, oriuntur triſtitia, timor, cogitationes uni objecto infixae, imaginatio laeſa, robur inſolitum, frigoris et famis tolerantia, ſecretiones impeditae, et ab aliis morbis immunitas.

10. Diagnosis patet. A phrenitide differt insania, quia hanc nulla, vel saltem parva, illam acuta febris comitatur.

11. Spes melior in insania, quae ab evacuationibus suppressis, quam quae ab erroribus dietae; quae a corpore, quam quae a mente, originem ducit; quando adest laetitia, quam quando adest tristitia. Morbum solvunt haemorrhagiae narium, diarrhoea, scabies, haemorrhoides, menses. Sub somno plerique sanescunt. Remissionibus in hoc morbo haud fidendum est. Quando vires labefactantur, vel affectiones epilepticae, vel comatosae superveniunt, mors adest.

12. Intentio medici debet esse, 1. Revellere et evacuare humores cerebrum oppilantes. 2. Spissum sanguinem attenuare et corrigere.

Revulsio et evacuatio perficitur, 1. Venaesectione, parce in melancholia, sed saepe in mania, celebrata. 2. Vomitu. 3. Purgatione continua. 4. Diureticis. 5. Setaceis. 6. Evacuationes suppressas sollicitando. 7. Immersione in aqua frigida; vel balneis tepidis, dummodo caput, haud immersum, aqua frigida eodem tempore perfunditur.

Sanguis corrigitur, 1. Potu multo diluente, aquis mineralibus, et nitro. 2. Medicamentis specificis. 3. Animi serenitate, dieta ex cibis levissimis

leviſſimis et blandiſſimis, exercitio et peregrinatione.

13. Animus in diverſis diverſimode regendus: in melancholicis, ſpe, fiducia, ludis, muſica, et fabulis, erigendus; in furioſis, timore, tenebris, vinculis, ſubitis terroribus, deprimendus eſt.

14. Opiata, non niſi in extrema ſollicitudine et longo pervigilio, concedenda. Lenis capitis frictio, ſilanus juxta cadens, geſtatio, cucurbitulae occipitio inciſo admotae, et balneae calidae, ad ſomnum conducunt.

15. Cura praeſervatoria debitis evacuationibus et animi dietaeque regimine nititur. Optimum eſt morbo liberatis mutare regiones, annua peregrinatione jactari, neque eſſe ſolos, neque inter ignotos.

16. Poſt febres continuas, remittentes, vel intermittentes, oritur fatuitas, ſpecies inſaniae a ſuperiore longe diverſa. Uti ab inanitione provenit, dieta nutriens, exercitium viribus proportionatum, et medicamenta cardiaca proſunt. Abſit omnis evacuatio.

SECT. X.

Odontalgia.

1. INter morbos nervoſos merito recenſetur odontalgia, vel dolor dentium, quia a nervo irritato provenit.

Hanc irritationem inducunt rheumatica ſanguinis diatheſis; aëris humiditas; inflammatio gingivarum; impedita malarum perſpiratio; potus vel alimenta acida, dulcia, frigida vel calida; dentium caries.

3. Dolor acutus in uno vel pluribus dentibus ſentitur. Gingivae inflammantur. Genae ſaepe dolent et tument. Somnus abeſt. Inflammatio vel diſcutitur, vel in ſuppurationem abit, quae dentem carioſum reddit. Aliquando ſuppuratio fit ad radices dentium.

4. Diagnoſis haud facilis inter odontalgiam et inflammationem in antro Heighmoriano.

5. Minuenda primo inflammatio, dein dolor mitigandus. Minuitur inflammatio venaeſectione; purgatione cum mercurialibus; ſudorificis; vapore aquae calidae per ſpongiam extrinſecus admotae; medicamentis ſputum magna copia allicientibus; vomitu; gingivarum ſcarificatione; ſanguiſugis ibi applicatis, et epiſpaſticis pone aures.

res. Sedata inflammatione, dolor mitigatur ſpirituoſis vel narcoticis dentibus applicatis.

6. Dolor quoque ceſſat, 1. Antetragam adurendo. 2. Inflammantia, veſicantia, et anodyna pone maxillam inferiorem, vel aures, temporibus vel cubito, applicando. 3. Dentem carioſum, quo minus externa irritent, plumbo implendo. 4. Actuali cauterio, per foramen tranſmiſſo, comburendo; vel ſpir. ſalis aut ol. vitriol. gutta una aut altera, nervum deſtruendo. 5. Extractione.

7. Quare dentes molares plus quam alii afficiuntur? Quare proximus vel oppoſitus idem ſaepe ſubit fatum? Quare aliquando dens conſumitur ſine dolore?

PARS TERTIA.

De morbis qui oriuntur in partibus.

SECT. I.

Haemoptyſis, aliaeque haemorrhagiae.

1. QUANDO ſanguis floridus et ſpumans tuſſi ex pulmone fertur, haemoptyſis appellatur.

2. Ad

2. Ad hunc morbum praedisponunt corpora graciliora, debiles fibrae, collum longum, pectus angustum, multus et acris sanguis, et aetas intra vigesimum quintum et trigesimum quintum.

3. Causae remotae sunt sanguinis orgasmus, vel nimia expansio, ab aucto particularum fermentantium intestino motu; spasticae nonnullorum viscerum contractiones, quales saepe accidunt in hystericis et hypochondriacis malis; obstructio scirrhosa in vicinis visceribus, et scirrhus vel polypus in ipsis vasis pulmonalibus, quae majorem sanguinis copiam, et majore cum velocitate, ad alia non obstructa determinat; plethora ab intermissis consuetis evacuationibus, accedente insuper ira, vehementi motu, cibo potuve calefaciente, vel tussi vehementi; nimii in foecibus extrudendis nisus; gelu corporis superficiem vasaque externa constringens; aër in altissimis regionibus nimis levis; mensium vel haemorrhoidum suppressio; morbi uti scorbutus, variolae, phthisis.

4. Causa proxima est ruptura vasorum pulmonalium, praecedente spasmo universali.

5. Antecedit horripilatio, lassitudo, pedum refrigeratio, anxietas, spirandi angustia, dolor gravativus undulatorius circa diaphragma, flatus in abdomine, et dolor dorsi. Tandem calidus erumpit sanguis cum titillatione et pruritu in aspera

pera arteria. Haec ſymptomata arguunt ſpaſmum totius corporis ante rupturam.

6. Non comitantur haec ſymptomata irruptionem ſanguinis e gingivis vel faucibus; ergo diſtinguunt haemoptoëm ab hiſce eruptionibus.

7. Haemoptoë inter omnes haemorrhagias periculoſiſſima eſt. Variat egregie periculum in hoc morbo ſecundum cauſas inducentes, habitum, aetatem, vaſaque rupta. Periculoſior enim eſt ubi oritur a vaſis debilibus, ſcirrhoſis, vel polypo, quam ab ipſis fluidis, vel evacuationibus intermiſſis; in corpore debili et laxo, quam in vegeto; in ſene quam in juvene; a ruptura vaſorum magnorum, quam minimorum. Niſi intra triduum compeſcitur fluxus ſanguinis, vix ſervari poteſt. Summe periculoſus eſt quando ſanguis extravaſatus non totus ejicitur; putreſcit enim, corrumpit vicina, tabemque infert. Facillime revertitur, et ſaepe recidivus ſummum ſecum adfert periculum. Si cum ulcere pulmonum conjungitur, actum eſt de aegro.

8. In medela, 1. Sanguis a pulmonibus avocandus. 2. Ejus orgaſmus temperandus. 3. Spaſmi conſopiendi. 4. Vaſa agglutinanda.

Sanguis avertitur a pulmonibus, 1. Venaeſectione. 2. Leni alvi ſubductione. 3. Clyſmatibus. 4. Ligaturis extremitatum.

Ejus orgaſmus temperandus, 1 Aqua frigida.
2. Nitro.

2. Nitro. 3. Acidis vegetabilibus et mineralibus.

Spaſmi conſopiuntur, 1. Peduliviis. 2. Opiatis, et ſem. hyoſcyami.

Vaſa agglutinantur, 1. Medicamentis oleoſis, incraſſantibus, et agglutinantibus, viz. balſ. capyvi, Locatelli, &c. 2. Dieta tenui lactea. 3. Summa corporis animique quiete et ſilentio; evitato vino, motu, venere, nimia caliditate cubiculi vel ſtragulorum, et cibis acrioribus.

9. Ex dictis, cauſa et curatio haemorrhagiarum omnium eluceſcit. Haemorrhagia narium petit praecipue adoleſcentes, et ſaepe ſalutaris criticaque eſt; ſolvit enim plethoram, vertiginem, dolores, &c. et ſuppreſſa, ſaeviſſimos inducit morbos. Si vehemens fit, ſiſtenda iiſdem remediis, et externis applicationibus, viz. aqua frigida; aceto fronti, occipiti, et internis naribus; et corporibus perquam frigidis nuchi applicatis.

10. Ex eadem cauſa, ſed praecipue obſtructione lienis, oritur vomitus cruentus a vaſis ventriculi diſruptis. Huic antecedit dolor punctorius et tenſivus in ſiniſtro hypochondrio; et cum irruptione junguntur anxietas, conſtrictio in latere, et lypothymia. Curatur iiſdem remediis, et opiatis parciori doſi adminiſtratis; oleoſis, ob relaxantem ſuam naturam, omnino evitatis.

11. De haemorrhagiis per anum vel per uterum

rum consulantur haemorrhoides, et menstruorum vel lochiorum fluxus nimius.

SECT. II.

Asthma.

1. ASthma est impedita et laboriosa respiratio, haud sine metu suffocationis.

2. Aliud atque aliud nomen, viz. dyspnoeam, asthma, orthopnoeam habet, prout se intendit morbus.

3. Est, 1. Vel periodicum, vel continuum. 2. Vel humidum, vel siccum. 3. Genuinum vel spurium: oriri enim potest a calculo vesicae felleae; a tumoribus diaphragmatis, hepatis, ventriculi; a pectoris vel pericardii hydrope; a dilatatione cordis, arteriarumve; a polypo, aliisque causis. De priore solummodo agendum.

4. Elapsa juventute, homines, praecipue obesos, adoritur. Magis aestate vel autumno quam hyeme grassatur.

5. Causae hujus morbi remotae sunt, aër coenosus, vel particulis noxiis impregnatus; tonitru; animi pathemata magna; variolae, scorbutus, intermittens, catarrhus; ulcera antiqua cicatrizata, vel evacuationes solitae, per haemorrhoides vel fontanellas, repressae; evacuatio critica

tica eryſipelatis, vel podagrae, repercuſſa; oedematoſus pedum tumor repulſus; vulnera diaphragmati inflicta; labes haereditaria.

6. Cauſae proximae ſunt, 1. Obſtructio bronchiorum et veſicularum, humoribus craſſis, vel tuberculis induratis. 2. Irritatio nervorum reſpirationi inſervientium; et hinc ſpaſmodica fibrarum annulos cartilagineos bronchiorum nectentium contractio. Primam docet mortuorum inſpectio, et contemplatio cauſarum remotarum. Secundam demonſtrat aſthma, apoplecticos et hyſtericos paroxyſmos, ſcorbutum, evacuationem acrem repulſam, ſequens; ſectio nervi diaphragmatici, vel compreſſio nervorum in occipite hunc morbum inducens; cadavera aperta ubi omnia viſcera ſana; libera et aequalis reſpiratio ante paroxyſmum.

7. Ita ſeſe habet paroxyſmus. Primo, ventriculus, ſenſu coarctationis praecedente, diſtenditur, et ructus copioſe emittit. Sequitur calor, febris, ſtupor, capitis dolor, nauſea, urina pallida. Pulmones rigeſcunt, ſpiritus turbantur, membra torpent, pectus plus ſolito gravatur, difficile ſpirat, rauceſcit. Nocte omnia augentur ſymptomata. A thorace coarctato, reſpiratio lenta. Recta cervice ſpiritum trahit, et egregie elevat humeros. Vomitus bilis flavae. Pejus in lecto, melius in aëre frigido, ſeſe habet. Lachrymae involuntariae; pulſus parvus, debilis, intermittens;

tens; cordis tremor; faciei nigredo et fere ſuffocatio. Remittente coarctatione, phlegma viſcidum, vel dulce, vel ſalſum, vel putridum, filamentis nigris diſcriminatum, expuitur. Urina nunc colorata ſedimentum habet. Ceſſante paroxyſmo, ceſſat ſputus.

Inveterato morbo, tument manus et pedes; febris, praecipue nocturno tempore, infeſtat; facies liveſcit. Incidit vel in hydropem, vel conſumptionem, vel inflammationem pulmonum, vel lethargum, vel paralyſim.

8. Ab orgaſmo in ſanguine et nervis, actio ventriculi perturbatur, flatuſque gignitur. Ab eodem, febris, calor, &c. Senſatio rigeſcentiae gravitatiſque in pulmonibus, a ſanguine ibi accumulato. Ab impletis vel contractis veſiculis, reſpiratio difficilis et ſtridor. Reſpiratio lenta, ob aërem impeditum. Recta cervice ſpirat, ut eo facilius deſcendat diaphragma. Humeri elevantur, ut vi majore agunt muſculi ſcapulares. Calor lecti auget ſymptomata. Faciei nigredo et ſuffocatio provenit a tranſitu ſanguinis per pulmones impedito. Ab actione pulmonum laeſa, hydrops.

9. Diagnoſis patet.

10. Prognoſis proſperior in juventute, quam ſenectute; in aſthmate ab evacuationibus repreſſis, quam ab aliis cauſis orto. Quo frequentior et ſeverior acceſſio, eo pejus. Aſthma, in peripneumoniam

pneumoniam mutatum, lethale. Dyſpnoea ſine incommodo diu durat: orthopnoea ſenes ſubito ſtrangulat. Periculoſa tremula ſpiratio, pulſus intermittens vel deficiens, brachiorum paralyſis, ſincope, cordis palpitatio, urina pauca. Ad extrema ventum eſſe, teſtantur ſpiritus parvus, tardus, et frigus; itemque pulſus ex tardo factus nimis creber et debilis.

11. In aſthmate humido ſcopus eſt, attenuare et evacuare materiam viſcidam, novaeque generationem impedire. Attenuatio perficitur, 1. Medicamentis attenuantibus. 2. Liquoribus diluentibus. Evacuatio, 1. Vomitoriis. Novae materiae generatio impeditur, 1. Purgantibus lenioribus vel diureticis. 2. Fontanellis et veſicatoriis. 3. Cortice Peruviano. 4. Dietae mucilaginoſae evitatione.

In aſthmate convulſivo ſcopus eſt, orgaſmum ſpirituum compeſcere. Perficitur, 1. Conſtrictionem minuendo clyſmatibus, thoraciſque fomentationibus. 2. Humores divertendo ad alia loca, frictione, vel fomentatione pedum. 3. Spaſmum compeſcendo opiatis. 4. Antiſpaſmodicis. In ſanguinolentis, ſi ſaeviant ſymptomata, phlebotomia levamen praeſentaneum adfert. Ad flatulentiam proſunt clyſmata ſpiritum digerentia. Fugato paroxyſmo, irritabilitati occurrit cort. Peruvianus.

12. In utriſque conveniunt ſitus erectus; die-

ta

ta tenuis parcaque, evitatis flatulentis; aër ſerenus; thorax haud conſtrictus.

13. Si e repulſa evacuatione ortum ducat aſthma, expugnandum eſt diaphoreticis et evacuatione iterum reſtituta. Si a noxiis particulis, inviſcantibus et veneno contrariis.

14. An proſunt mercurialia in aſthmate humido?

SECT. III.

Imbecillitas vel reſolutio ventriculi et inteſtinorum

1. EST morbus, quem imbecillitatem primarum viarum nominare licet, qui ſedentarios et literis deditos quam maxime infeſtat; et, quamvis frequentiſſimus, attamen tantum non praetermiſſus, et adhuc fere innominatus. Morbus hypochondriacus recentiorum eſt hujus ſpecies.

2. Hunc inducunt vita ſedentaria; acriora purgantia nimis frequenter uſurpata; moeror; nimia ciborum repletio; dieta ex alimentis liguminoſis et flatulentis; nimiae evacuationes, praecipue ſanguinis; morbi praegreſſi, quales dyſenteria, abortus, intermittens, et ſpaſmi primarum viarum; diſpoſitio haereditaria. Intra trigeſi-

mum et quadrageſimum annum praecipue infeſtat.

3. An cauſa proxima eſt motus periſtalticus primarum viarum debilitatus, vel nonnunquam impeditus, et inordinatae frequenteſque duodeni, ipſiuſque ventriculi, ſpaſticae conſtrictiones? Huic fidem faciunt cauſae evidentes, ſymptomata, medela, et ſectiones cadaverum.

4. Adſunt anxietas; praecordiorum diſtentiones; flatus generatio et incarceratio; ſenſatio faucium conſtrictoria et moleſta; lateris vel ſterni dolor; cardialgia; ructus acidi; ſummae aciditates; inteſtinorum, praecipue vacuo ventriculo, eroſiones et dolores; venter nonnunquam conſtipatus, nonnunquam ſolutus; foeces virides; appetitus ſaepe auctus; pulſus debilis, parvus, et tardus; frequens, ſed imbecillis, penis erectio; animi marcor; vertigo; palpitatio; aurium tinnitus; inſomnium; macies.

5. Cibus, qui ex vegetabilibus praecipue componitur, ob defectum motus periſtaltici, quietem agens, et calore fotus, in acidam ruit fermentationem; hinc flatus, ſaliumque acidorum generatio, quae praecedentia excitant ſymptomata. Faucium lateriſque dolor oritur a conſenſu cum partibus affectis, interventu octavi paris et intercoſtalis.

6. Prudens medicus vix ſpondeat conſummatam medelam hujus morbi; quia difficillime curatur,

ratur, et facillime, ob leviſſimos dietae errores, recurrit. In nullo verſatur diſcrimine aeger quamvis emaciatus, ſi obligare ſe legibus vult.

7. Obviam itur, 1. Evacuando primas vias vomitu florum chamaemeli decoctione elicito; et parvis doſibus tinct. rh. amar. 2. Corroborando has partes medicamentis calefacientibus amaris, cort. Peruviano, et aquis chalybeatis. 3. Equitatione continua, quae, repetitis ſuccuſſionibus in partes affectas ſeſe praecipue exerens, praeſtantiſſimam operam pollicetur. 4. Dieta ex cibis putrefacientibus, non aceſcentibus, uti carne, caſeo corrupto, &c. 5. Potu ex aqua, vino Maderenſi, vel ſpir. vini Gallici cum aqua diluti; evitatis omnibus cereviſiae, excepto *Porter*, ſpeciebus.

8. Prodeſt perfundi aqua frigida, atque in ea natare, canalibuſque ejuſdem ſubjicere etiam ſtomachum ipſum, et id quod contra ſtomachum eſt; in aëre quam maxime ſicco et temperato degere; extremitates fricare; plerumque in motu eſſe; et cibos, qui potius difficulter concoquuntur, quam facile vitiantur, aſſumere. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere poſſunt, bubulam concoquunt. Utilis eſt magna ſalis marini cum cibis copia.

9. Inimicae ſunt omnes evacuationes, praecipue emetica et cathartica repetita; dieta ex vegetabilibus; infuſio theae nimis calida vel diluta;

nimia vini vel cibi ingurgitatio; abſtinentia; lac ejuſque cremor; butyrum, praecipue inſulſum; omnia pinguia; opus piſtorium; acida, acidaeve potiones, qualis illa *Punch* dicta; et pathemata ſubita.

10. Si cibus non continetur, valent ad comprimendum ſtomachum cucurbitulae duobus digitis infra ſtomachum admotae; ſpongia ex aceto; cataplaſma calefaciens, vel lana ſuccida ſicca extrinſecus impoſita, et calefacientibus particulis referta; cibus, ſemper quam minima copia ſemel, ſed debitis intervallis, repetitus, interpoſito nonnunquam aliquo minus utili, ſed magis grato. Vinum meracum, auſterum, frigidum; equitatio lenis; aquae chalybeatae, et animus tranquillus.

11. Si coacuit intus cibus, proſunt, praeter ante dicta, pulveres abſorbentes antacidi, poſt peractam digeſtionem, aſſumpti.

12. Si vero pituita ſola ſtomachus impletur, leniora adſunt ſymptomata, viz. appetitus deletus, inflatio, vertigo, lipothymia, febris erratica, nauſea, vomitus. Convenit per viam ſuperiorem, qua primum expelli poteſt, ejicere; equitatione, aliove exercitationis genere, quo ſuperior pars movetur, concuti; praecordia bene veſtita habere; vinum rubrum neque effuſe, neque timide bibere; ſtomachum tinct. rh. amar. cort. Peruv. et chalybeatis roborare; et poculum

ſatis

ſatis amplum, ter quaterve die, digeſtione peracta, ex aq. calcis haurire, qua nihil omnia glutinoſa potentius diſſolvit.

13. Illud quoque in omnibus ſtomachi vitiis praecipiendum eſt, ut, quo modo ſe quiſque aeger refecerit, eodem ſanus utatur. Nam redit huic imbecillitas ſua, niſi iiſdem defenditur ſecunda valetudo, quibus reddita eſt.

SECT. IV.

Haemorrhoides.

1. HAEmorrhoides diſtinguuntur, 1. In apertas et clauſas. 2. In exteriores et interiores; poſteriores digito explorantur.

2. Cauſa eſt obſtructio, inflammatio, et tumor vaſorum haemorrhoidalium ab alvo dura, purgantibus fortioribus, vel critica quadam evacuatione.

3. In ano apparet tumor parvus, cum dolore et calore, qui debitam adeptus magnitudinem vel reſolvitur, vel indureſcit, vel ſuppuratur. In poſteriori criſi parum puris ſanguinei ſortitur, et gradatim exareſcunt haemorrhoides.

4. Quando praegreſſa fuit valetudo, quando habitus malus, vel ſtatus corporis febrilis, quando ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt,

in his parum tuto ſupprimitur; habent enim criſim, non morbum. Suppreſſa autem incaute hac evacuatione, ſubiti et graviſſimi morbi ſuperveniunt, inclinata in praecordia et viſcera materia. Haemorrhoides antiquae, vel irritatae, in fiſtulam ani nonnunquam degenerant.

5. Si cui vero eae nocent, ſupprimuntur, 1. Venaeſectione, vel ſanguiſugis capitulis earum applicatis. 2. Salibus purgantibus. 3. Flore ſulphuris interne ſumpto. 4. Fomentationibus et cataplaſmatibus diſcutientibus. 5. Unguentis repellentibus. 6. Orificium in ſuppuratione apertum conſervando; evitatis calefacientibus, motu magno, et equitatione.

SECT. V.

Icterus.

1. ICterus, ſeu morbus regius, ſeu arcquatus ſeu ſuffuſio bilis, eſt color tunicae albugineae cutiſque, praeter naturam, flavus vel nigricans.

2. Diſtinguitur, 1. In icterum flavum et icterum nigrum; poſterior a priore gradu ſolummodo differt. 2. Continuum et periodicum. 3. Idiopathicum et ſymptomaticum. 4. Criticum

cum et ſymptomaticum. 5. Icterum cum febre et ſine febre.

3. Cauſae remotae ſunt colica hyſterica; colica bilioſa; venena, uti morſus viperae, vel canis rabidi, ſtaphis agria; cathartica draſtica; triſtitia et ira; oſſificatio vel compreſſio ductuum bilioſorum a tumoribus extra vel intra exiſtentibus; graviditas; meconium non rite purgatum; jecoris obſtructio, ſcirrhus, vel abſceſſus; febres, praecipue intermittentes, nimis cito a cortice Peruviano ſuppreſſae; calculi ductum cyſticum obturantes.

4. Cauſa hujus morbi eſt, 1. Bilis jam ſeparatae regurgitatio et abſorptio. Injectiones a ductu hepatico vel veſica fellea ad venam cavam retrogreſſae, externae compreſſiones, internaeque obſtructiones ductuum bilioſorum, huic fidem faciunt. 2. Bilis non ſecretae aucta copia, viſciditas, vel acrimonia. Probabilis redditur ab ictero morſu viperae ſubito inducto; ſcirrhoſitate hepatis; ſtatu hepatis ſano poſt mortem, nullaque in veſica fellea inventa bile; equorum, qui cyſti deſtruuntur, ictero; criſi febrium icterica; et ictero ſymptomate in febribus, ubi foeces alvinae bilis ſecretionem non obſtructam demonſtrant.

5. Adſunt pigrities; laſſitudo; color oculorum, cutiſque flaveſcens; alvus obſtructa; appetitus imminutus; foeces alvinae albae; urina craſſa ſedimentum deponens et linteamenta fla-

vedine tingens; ſaliva amara et flavo calore tincta; reſpiratio difficilis; ſtrictura, gravitas, tenſio, et dolor hypochondrii dextri; vomitus; pruritus in cute; ſudatio difficilis; pulſus nonnunquam citatus; ſingultus, et, morbo retrocedente, diarrhoea.

6. A curſu bilis impedito oritur alvus obſtructa, foeces albae, plethora et pigrities. A regurgitatione, abſorptione, vel redundantia bilis, cutis humoreſque ſecreti bilioſo colore et amaritudine ſaturati. A veſica fellea turgida et irritata, gravitas, ſingultus et vomitus. A bile acri infra cutem ſtabulante, pruritus, ſudoriſque difficultas. A bile, ob remoram magis acri, iterumque in inteſtina delabente, diarrhoea.

7. Diagnoſis eluceſcit flavo oculorum, cutis, et urinae colore, albiſque excrementis.

8. Prognoſis eſt magis fauſta in juventute, quam ſenectute; in robuſtis, quam debilitatis; in flaveſcentibus, quam nigreſcentibus; in ictero ſolitario, quam aliis morbis ſtipato. Icterus febribus, praeſertim ultimis diebus, ſuperveniens, criſeos munere fungitur; ſed inflammationem hepatis, ventriculi vel duodeni ſubſequens, aegrum in acriore diſcrimine eſſe oſtendit. Sudor naturalis optimum praebet ſignum. Icterus hydropem comitatus incurabilis merito habetur.

9. Promovetur bilis ſecretio, 1. Venaeſectione, ſi adſit plethorica conſtitutio. 2. Vomitu ſaepe repetito.

repetito. 3. Rheo parvis dosibus continue assumpto. 4. Aperientibus, sed praecipue sapone, per os assumpto, vel in anum injecto, et aquis chalybeatis sub finem morbi. 5. Fomentationibus et cataplasmatibus hypochondrio dextro assidue applicatis. 6. Attentione ad causas remotas, viz. calculos, spasmos, venena, febres, &c. quae suis remediis finiendae. 7. Dieta et potu acescente, exercitio, fricatione, et ludis.

SECT. VI.

Calculus cysticus.

1. HUnc morbum, quamvis frequentem, antiqui medici ignorabant. Seculo decimo sexto, anatomiam scientiam persequenti, calculi cystici primo innotuerunt; et symptomata, longo spatio interjecto, postea descripta fuere.

2. Causae praedisponentes sunt aetas senilis, sexus foemineus, vita sedentaria, potus ex spir. vini, corporis inclinatio, alimenta crassa et sicca, lithiasis, et podagra.

3. Calculi distinguuntur in magnos et parvos; in friabiles vel duros; in scabros vel incrustatos; in ovales vel angulosos; in cineritios, flavescentes, vel nigros; in inflammabiles et non inflammabiles.

4. Calculi

4. Calculi ſolidioris texturae et ſaturatioris coloris, nec in aqua, nec in ſpir. vini rectificatiſſimo, nec in aqua calcis, nec in ſapone aqua ſoluto, diſſolvuntur. Ol. tart. p. d. vim ſolventem poſſidere videtur. Inſtar candelae flagrant, perexigua terreſtri materia relicta: ergo non tam ex ſalina, quam ex oleoſa et inflammabili, cum terreſtri bilis parte, ob quietem et ſpiſſitudinem conjuncta, coalita, motuque partium vicinarum compreſſa, componuntur. Calculus recens muco abundat; ideoque in aqua fervente ſolvitur, et vix flammam concipit.

5. Calculi in veſica fellea remanentes nonunquam ſeſe produnt obtuſo partis dolore et pondere. In ductu cyſtico vel communi cholidocho haerentes, ſequentia excitant ſymptomata. Subitus, profundus, acutus, excrucians dolor in dextra ſtomachi parte, uſque ad dorſum penetrans, cum remiſſionibus et exacerbationibus; nauſea vel vomitus; flatus et diſtentio hypochondrii; alvus aſtricta, cum albis excrementis; pulſus imbecillior, ſed vix citatior, niſi in doloribus exquiſitis et perdurantibus; a ſitu erecto et decubitu in ſiniſtro latere moleſtia; duſpnoea; cardialgia; inquietudo et anxietas; animi defectio; convulſiones; urina primo pallida, dein flava; color ictericus cutis et oculorum. Tandem, ſedato ſubito dolore, ſequitur nonnunquam diarrhoea,

rhoea, calculi per anum rejiciuntur, ſymptomataque icterica gradatim evaneſcunt.

Morbus ſaepe revertens, nonnunquam periodicus, cahexiam, tabem, icterum fere continuum, et hydropem, inducit.

6. A ſenſibilitate ductus, conſenſu nervorum intercoſtalium, cum multis aliis, et bile obſtructa, omnia haec proveniunt ſymptomata.

7. Diſtinguitur ab inflammatione hepatis, ventriculi, vel inteſtinorum, ſymptomatum exacerbatione et remiſſione, icterico colore, calculiſque per anum rejectis: a ſpaſmis hyſtericis, qui nervoſo habitu cognoſcuntur.

8. Raro, niſi in ſumma ductuum inflammatione et in pregnantibus, periculoſus. Natura ſaepe multum, medicina parum, in diſſolvendis calculis, profuit; ideoque perfectam medelam vix ſpondeat medicus; ſaepe enim per intervalla morbus revertitur, et per totam vitam aegrum fatigat.

9. In paroxyſmo intentio eſt, ductum laxare et calculum detrudere.

Ductus laxatur, 1. Sanguinis miſſione in habitu plethorico, et ſtatu febrili. 2. Decoctis et juſculis lubricantibus et oleoſis intus hauriendis. 3. Cataplaſmatibus, fotibus, et ſemicupio, externe applicandis. 4. Clyſmatibus relaxantibus oleoſis. 5. Anodynis, in ſummo dolore.

Calculus detruditur, 1. Motum inteſtinorum vermicularem

vermicularem lenioribus purgantibus accelerando. 2. Frictione in hypochondrio dextro et in dorso contra partem affectam. 3. Vomitu et exercitio, modo absit acutus dolor.

Extra paroxysmum calculi solvendi, et ulterior genesis prohibenda.

Solutio tentanda, 1. Leni et repetito vomitu, qui molliores calculosas concretiones saepe comminuit et deturbavit. 2. Medicamentis huic scopo dicatis, sed parum efficacibus, uti sero lactis, succo graminis, sapone Veneto, decoct. rad. ʒ aperient., parier. brav., rub. tinctor.

Ulterior genesis impeditur, 1. Medicamentis aperientibus salinis. 2. Aquis mineralibus ferrugineis, quae sanguinem nimis densum attenuant. 3. Motu corporis, praecipue equitatione.

SECT. VII.

Diabetes.

1. DIabetes est nimia urinae, plerumque suavis, profusio, cum magna siti.

2. Distinguitur inutiliter in veram et spuriam. Vera appellatur, quando potus immutatus secernitur: spuria, quando adest humorum colliquatio. Sed melius propter usum, 2. In originari-

am

am et ſymptomaticam. Nonnunquam hecticae febris, ſed praecipue hyſterici mali comes eſt.

3. Cauſae proximae ſunt antecedentes morbi febriles, praecipue ſi immodicis evacuationibus fugantur; morſus ſerpentis dipſadis; acidularum aquarum uſus nimis longus, praecipue in frigida tempeſtate; medicamenta diuretica.

4. Neque oritur hic morbus a calida renum intemperie; neque a ſale ſanguinem coagulante; neque a ſalibus, ob ſanguinem ſpiritibus fermentatis repletum, retentis; neque a conſtrictione cuticulari; neque a vitiata bilis mixtura. Cauſa proxima videtur eſſe nimia glandularum renalium urinam ſecernentium laxitas, et ſerum acre attenuatumque; prior patet a cauſis remotis, analogia aliarum evacuationum auctarum, medela, et cadaverum inſpectione: poſterior a ſpaſmis, eruptionibus inflammatoriis, et ulceribus malignis quae diabetem comitantur.

5. In diabete adſunt urinae fluxus inſolitus; ſitis intolerabilis; os ſiccum; ſalivae ſpumoſae expuitio crebra; calor viſcerum; urina limpida, ſuavis, bene olens, potumque aequans vel exſuperans; febris hectica; intumeſcentia lumborum, teſtium et pedum; tabes; mors.

6. Os ſiccum, ſaliva ſpumoſa et ſitis, a ſanguine liquidiſſima ſua parte ſpoliato. Sapor urinae, a particulis chyloſis permiſtis. Copia urinae potum excedens, a liquefacto ſanguine, aliiſque

que humoribus, et aëris humiditate in corpus attracto. Febris hectica, ab acrimonia humorum. Tumor lumborum, testium vel pedum, a solidis labefactatis.

7. Copia urinae aucta designat diabetem, et voluntaria emissio distinguit ab incontinentia urinae.

8. Recens facile, antiquus difficile curatur. In bibacibus et senibus nunquam fere medelae auscultat.

9. Renum laxitas tollenda, et humores acres attenuatique corrigendi. Perficitur, 1. Corroborantibus et adstringentibus. 2. Incrassantibus et mucilaginosis. 3. Aqua calcis. 4. Aqua Bristoliensi. 5. Dieta ex solidis potius quam liquidis, gelatinis, oryza, sago, salep, piscibusque testaceis; aëre sicco et calido; lecto duro, et exercitio leni quotidie usurpato. 6. Empl. defensivo lumbis applicato; vel, quod melius respondet, cingulo lato lumbis et abdomini arcte circumducto.

SECT. VIII.

Incontinentia urinae.

1. INcontinentia urinae est excretio urinae involuntaria ortum ducens a sphinctere vesicae

cae relaxato ob paralyſim, contuſionem, longam in balneo frigido remoram, puerperium, partum difficilem, aetatem infantilem vel ſenilem, febreſque. Tollitur adſtringentibus, corroborantibus medicamentis, et nervinis unguentis pubi et perinaeo externe applicatis.

SECT. IX.

Lithiaſis ſeu calculus renum et veſicae.

1. LIthiaſis eſt dolor acutiſſimus renum, ureterum, vel veſicae, a calculo vel arenulis ibi impactis.

2. Diſtinguitur, 1. A loco affecto, in calculum renum et calculum veſicae. 2. A calculo ipſo, qui vel ſcaber, vel laevis; cineritius, ruber, vel fuſcus; friabilis, vel durus.

3. Cauſae remotae ſunt dieta lauta et concoctu difficilis; vita ſedentaria; aetas ſenilis; rheumatiſmus et arthritis; ſitus horizonti parallelus; vinum tartaro ſcatens; aqua terreſtri et ſabuloſa materia repleta; ſanguinis diatheſis lapidoſa; labes haereditaria.

5. Calculis neque viſcidae pituitae, neque fermentationi ſalium oppoſitorum, neque materiae coagulanti, neque putrefactioni, neque ſalibus urinae tartareis, originem debet. Oritur enim

a ſabuloſis et terreſtribus ſanguinis particulis in tubis uriniferis haerentibus, ſeſe attrahentibus, et primo ſub ſpecie muci, dein lapidis, ope glutinoſae materiae, adjunctis.

5. Diſſectiones, renes ulceratos, et aliquando omnino corruptos, calculoſque in eorum ſubſtantia inhaerentes, demonſtrant.

6. Calculus, praecipue veſicae, conſtat plerumque ex nucleo et cruſtis vel tunicis concentricis.

7. Chymice tractatus ſeſe reſolvit in aërem, phlegma, ſalem volatilem urinoſum, oleum, et caput mortuum. Pars dimidia ex aëre conſtat; quarta ex materia terreſtri: quarta, quae remanet, ex oleo, phlegmate, et ſale componitur. Tantum abeſt a ſalina compoſitione inſtar tartari vini.

8. Signa calculi renalis ſunt dolor acutiſſimus, vel gravativus in lumbis; calor; nauſea, vomitus; alvi conſtipatio; ſymptomatum exacerbatio poſt cibum; urina ſabuloſa, et ſaepe ſanguinea vel purulenta; iſchuria; coma; inflammatio; ulceratio; tabes. Saepius patitur ſiniſter ren quam dexter.

Quando decidit in ureteres calculus, exacerbantur egregie dolores, et deorſum ad veſicam tendunt; ſtupet crus; retrahuntur teſticuli; et urina ex parte ſupprimitur.

Calculus veſicae ſtipatur difficili et dolorifico mictu,

mictu, cum continuo ad urinam deponendam desiderio; tensione et dolore coli; titillatione continua in glande; tenesmo; diarrhoea; urina mucosa; convulsivis in meiendo motibus; urina sanguine tincta post equitationem, cum augmento doloris in vesica, urethra, et glande.

9. Vomitus a consensu nervorum stomachi et renis oritur. Post pastum exacerbantur symptomata ob distentionem ventriculi et intestinorum. Vasis anguloso lapide laesis, sanguis et pus cum urina effluit. A viis urinae obturatis, vel renis inflammatione, ischuria. Calculus, per ureteres descendens, nervos lumbares comprimit vel irritat, et stuporem cruris, testiculique retractionem producit.

Irritatio et pressio calculi contra sphincterem vesicae, stranguriae et tensionis coli; sympathia nervorum ejusdem membranae per urethram continuatae, glandulave lymphatica supra fraenum obstructa, titillationis glandis; contiguitas intestini recti, tenesmi et diarrhoeae; abrasio muci vesicae et ulcera, urinae mucosae causae sunt.

10. Calculus renum dignoscitur a lumbagine, vomitu, et urina sabulosa; a colica, quia dolores altius tendunt, et rugitus exauditur in posteriore; a passione hysterica renes adoriente, quia haec a clysmatibus exacerbatur.

Calculus vesicae exploratur cathetere, vel di-

gito in anum immiſſo : hiſce, ergo, operationibus, titillatione glandis, et a febre immunitate, ſatis diſtinguitur a ſtranguria.

11. In calculo renum ſummum adeſt periculum ob inflammationes, ulcerationes, et ſuppreſſiones urinae, quae ſaepe comitantur. Facilius diſſolvitur in adultis, quam pueris. Res deſperata eſt ſi ulcera in renibus fiunt. Retentio urinae per aliquot dies, frigus extremitatum, et convulſiones, mortem inſtantem denunciant. Calculus veſicae facilius ſolvitur vel extrahitur quam renum.

12. Alia eſt cura paroxyſmi, alia extra paroxyſmum. Paroxyſmus ſedatur minuendo inflammationem et tolendo ſpaſmos, 1. Venaeſectione. 2. Clyſmatibus emollientibus terebinthinatis. 3. Decoctionibus emollientibus, oleoſis. 4. Balneis tepidis. 5. Opiatis. 6. Quiete.

Extra paroxyſmum, morbus aggrediendus eſt, 1. Lithontripticis per os aſſumptis, vel in veſicam injectis, quales ſunt, ſapo Hiſpanus, lixivium ſaponis, teſtes animalium calcinati, aqua calcis, porra, caepae, celeri, quorum vires lithontripticae experimentis confirmantur. Summa quies, et venter neque adſtrictus neque ſolutus, tunc convenit. 2. Dieta eupepta haud aceſcente, potu viſcoſo ex cereviſia vel rad. alth. et aqua levi pura, lecto duriuſculo et altiore verſus caput quam pedes.

13. Si

13. Si calculus veſicae hiſce remediis non cedit, lithotomia in auxilium vocanda.

14. Ad mictum ſanguineum, aqua calcis, omiſſo ſapone, eſt optimum remedium. Convenit quoque emulſio Arabica et manna ad alvum laxam ſervandam.

15. Arenulae optime tolluntur aquis chalybeatis diureticis; et illis praecipue, quae ſalem alkalinum continent.

PARS QUARTA.

De morbis genitalium et uteri.

SECT. I.

De his morbis in genere.

PROXIMA ſunt ea vitia, quae ad partes obſcoenas praecipue pertinent. Utut difficilis haec explanatio, ſimul et pudorem, et artis praecepta ſervantibus, attamen quam maxime neceſſaria; quia in caeteris vitiis ſinguli, in his genus humanum peſſundatur.

SECT. II.

Morbus venereus.

1. HAud definiri poteſt morbus venereus ſine ſymptomatum enumeratione. Confertae ſcriptorum turbae palmam arripuit Aſtruc, cujus veſtigia meo preſſi pede.

2. Non in Europa innotuit ante 1493. Quia, 1. Neque a medicis, neque hiſtoricis, neque poëticis ſcriptoribus, ante hoc tempus, deſcribitur. 2. Non eſt lepra antiquorum. 3. Primi ſcriptores conſentiunt quod morbus antea inauditus fuit.

3. Non in Italia, certis cauſis concurrentibus, germinabat; neque a regionibus Africae; ſed ab Hiſpaniola cum Columbo advectus, bello Neapolitano ſe primo manifeſtabat.

4. Initio atrociter ſaeviebat. Procedente tempore, variationes ſymptomatum magnas expertus eſt. Nunc longe mitior, ſed adhuc viget, ſemperque vigebit, dum homines vario fruuntur concubitu: quanquam pleroſque vanae ſpes exitus oblectant.

5. Morbus ſemper ab infecto vel infecta provenit. Oritur, 1. Labe haereditaria. 2. Contactu. Hic diverſis methodis perficitur, tactu partis

partis ulceratae cum parte ulcerata, baſiatione, lactatione, coitu.

6. Virus venereum eſt venenum ſui generis, vaſa obſtruens, corrodens, omniaque liquida contaminans.

7. Semper fere ſeſe primo manifeſtat in parte tacta.

8. Praecipuam in adipe et membrana celluloſa ſedem habet, ſed non unicam, ut ex glandulis obſtructis patet.

9. Corpus penetrat, 1. Per cutem immediate eroſam. 2. Per vaſa abſorbentia, quae vel in venas lymphaticas valvuloſas, vel in ſanguineas terminantur.

10. Vires ſunt, in ratione, 1. Copiae viri venerei. 2. Qualitatis ejuſdem. 3. Temporis in contactu elapſi. 4. Temperiei propriae. Hinc patet ratio, quare, aliis intactis, alii inficiuntur; quare in aliis progreſſum celerrimum, in aliis lentum facit; quare aliquando in corpore latet per longum tempus.

11. In medicina prophylactica, nulla adhuc cognoſcuntur interna remedia. Externa ablutio cum melle, aceto, urina, vel ſpir. vini, prodeſt.

12. Diſtinctio in duo ſtadia perquam neceſſaria eſt. Quando non adhuc ſe miſcuit ſanguini, morbus venereus localis; quando ſanguis inquinatur, tunc lues venerea confirmata appellatur.

Methodus medendi in his toto coelo differt. Prior morbus primo, posterior postea tractandus.

13. Quia tam varia symptomata morbus venereus localis habet, viz. Gonorrhoeam virulentam; tumores testium; stranguriam; bubones, gonorrhoeam non virulentam; ulcuscula; tumores praeputii et balani; tubercula; verrucas, &c.; haec omnia, uti morbi diversi, tractanda sunt.

Gonorrhoea virulenta.

1. Causa proxima est virus venereum, per vasa absorbentia, praecipue lymphatica, assumptum, et in urethra depositum. Rejicitur ascensus per urethram, vel assumptio in sanguinem, et in has partes cum semine depositio.

2. Nulla inter gonorrhoeas virulentas distinctio, nisi in gradu symptomatum, vel diversitate partium affectarum.

3. Separat se morbus in tria stadia, increscentis inflammationis, decrescentis inflammationis, exarescentiae.

4. In hominibus, quartum circiter diem post infectionem, oritur haud ingrata titillatio in glande. Conspicitur in urethrae ore paululum saniei tenuis. Orificium tumet, rubet, hiat. Inter meiendum caloris sensus cum punctura miti. Postea dolor pungens percipitur instar puncturae acuum.

acuum. Pus magis viſcidum in majore copia exit. Totus rigeſcit penis, praecipue urethra, quae uſque ad veſicae collum, uti funis, tenditur. Augetur in dies inflammatio. Dolor et ardor in urina reddenda intolerabilis, praecipue ſub finem. Pus devenit vel flavum vel viride, cum ſtriis ſanguineis ſaepe miſtum. Per noctem ſomnum rumpit frequenter erectio involuntaria dolorifica, cum pene deorſum incurvato. Tument aliquando externe glandulae Cowperianae; aliquando in perinaeo abſceſſus. Sequitur ſaepe ſtranguria, tumor teſtium vel glandularum inguinalium. Lumbi dolent. Per ſeptimanam unam vel alteram durat hic ſtatus.

Tandem miteſcunt omnia ſymptomata. Urina minus urit. Magis albicans et aequabile fit pus. In erectionibus non curvatur, neque tantum dolet penis. Urethra emollitur. Hic ſtatus ſecundus.

Inflammatione ſedata, nullus in urina reddenda dolor. Pus album aequabile, viſcidum, inſtar fili ductilis, ſenſim minuitur; donec, ejectis prius materiae tenacis globulis ſeparatis, in totum exareſcit. Hic tertius morbi ſtatus.

Accidunt foeminis ſimilia ſymptomata, diverſa partium ſtructura nonnullas variationes efficiente. Incipit cum ſenſu pruriginis in vulva, et inſolito madore. Inflammantur, tument, calent, dolent muliebria: neque coitum cum viro tole-

rare poſſunt. Urina urit, ſed non tantum quantum in viris. Pus virulentum, raro ſanguinolentum. Tandem inflammatio minuitur. Pus album et tenax fluere deſinit.

5. Vix rite deſcribitur hujus morbi ſedes in hominibus. Incipit inflammatio et provenit primo pus ab ulcere in urethrae glandula juxta fraenum ſita. Probatur, 1. Quia ibi in initio ſentitur titillatio et in meiendo dolor. 2. Quando inflammatio parva eſt, incipiente vel deſinente morbo, digitorum compreſſione exterius, vel ſpecillo interius, ibi ſentitur ulcus. 3. Quia injectionibus haud longius penetrantibus curatur gonorrhoea, vel ſiſtitur puris fluxus. 4. Quia ſedes gonorrhoeae non virulentae, gonorrhoeam virulentam ſequentis, ibi eſt. 5. Si a partibus vulgo creditis profluebat pus, in plurimis corporis poſitionibus ad veſicam refluere debet, ergo modo libere exiret, modo ſiſteretur; quod non fit.

Si inflammatio adſit parva, ibi ſiſtitur. Sin magna, abhinc urethra, glandulae Cowperianae, proſtatae, veſiculae ſeminales inflammantur, ulcerantur. Docet diſſectio cadaverum.

In foeminis, glandulae vaginae et urethrae afficiuntur. Viſu et diſſectione cognoſcitur.

6. A viro venereo urethram ulcerante oriuntur omnia haec ſymptomata. Penis curvatur ab irritato

irritato et contrahente fraeno. Lumborum dolor a nervorum consensu.

7. Diagnosis facilis hujus vitii ab ulcerato rene vel vesica; quia in hisce pus non nisi cum urina sortitur. Facilis quoque a gonorrhoea nimio labore inducta, quia tunc nullus dolor, nulla dysuria, nullave malignitas. In foeminis, diagnosis difficilis a fluore albo: saevius tamen ingruit gonorrhoea; et si ulcera in pudendis sint, certissima gonorrhoeae signa habentur.

8. Morbus levior in foeminis, attamen curatu difficilior. Quo citius apparet, quo major inflammatio, quo plures partes afficiuntur, quo atrociora symptomata, eo pejor. Quo magis album, minusque discoloratum pus, quo minor ardor urinae, eo melior. Si intra scrotum suppuratio fit, periculosae res aleae est.

9. Totis viribus laborandum in primo stadio, ut inflammatio sedetur. Perficitur, 1. Venaesectione. 2. Antiphlogisticis. 3. Leni alvi subductione. 4. Fomentationibus et vapore calidae aquae. 5. Cataplasmatibus. 6. Injectionibus emollientibus.

Sedata parum inflammatione, in secundo stadio scopus est, ut pus deveniat album et glutinosum. Perficitur mecurialibus, quorum praecipue vis ad hunc finem spectat: haud inutilis tamen in priore stadio. Quo propius ulceri applicentur, eo melius; ergo injectio mercurialis, applicatio

applicatio ung. mercurial. ad glandem et raphe penis, ſummae utilitatis ſunt.

Per duos hos ſtatus victus debet eſſe tenuiſſimus. Calefacientia, uti vinum, condimenta, exercitium, niſi in debili corporis ſtatu, nocent.

Tertius ſtatus requirit incarnationem et cicatrizationem; quae perficiuntur, 1. Balſamis terebinthiacis. 2. Adſtringentibus. 3. Aquis ferrugineis. 4. Aqua calcis. 5. Balneo frigido. 6. Injectionibus exſiccantibus. 7. Victu paulo liberiore, ſed eupepto. 8. Abſtinentia a coitu, immo ab ideis venereis, per totum tempus.

10. Ardor urinae mitigatur demulcentibus, et camphora; curvatura, pene deorſum ligato. Abſceſſus perinaei curatur quamprimum aperiendo.

11. Alia decantatur medendi methodus per injectiones leniter cauſticas et adſtringentes, ſtatim uſurpatas; ſed quia ſucceſſus nunc ſecundus, nunc adverſus, a medico ſanitatem famamque molienti, devitandae ſunt.

12. Nimiam purgationem ſaepe ſequitur ſeminis profluvium ante coitum, aut alvi dejectionem, vel nimis frequenter in ſomno emiſſum, quod debilitatem et marcorem inducit. Provenit a ſphinctere veſicularum ſeminalium nimis laxato vel eroſo. Curatur iiſdem remediis, ac tertius gonorrhoeae ſtatus.

3. Alia

13. Alia eſt gonorrhoeae ſpecies perperam ſicſica appellata. Dyſuria ſentitur urens, et magna urethrae inflammatio, cum nullo vel pauciſſimo ſaniei fluxu. Saepe ſtranguria comitatur. Pro cauſa agnoſcit inflammationem quae non vergit in ſuppurationem, ſed reſolvitur. Curatur methodis in primo gonorrhoeae ſtadio preſcriptis.

14. Quare fortiora purgantia ſymptomata augent?

Tumor teſtium venereus.

1. Cauſa eſt inflammatio urethrae in gonorrhoea, per vaſa deferentia ob nimium exercitium, calefacientia, injectiones adſtringentes, vel cathartica fortiora, teſtibus communicata. Rejicitur ſuppreſſio ſeminis virulenti.

2. Primo ſiſtitur paululum fluxus puris venerei. Dolor lancinans ſentitur in teſtibus. Indureſcit chorda ſpermatica. Tumere incipit epididymis, dein teſtis, cum febre. Increſcit teſtis in magnam molem cum exquiſito dolore, calore et ponderis ſenſu. Rubet et tenditur ſcrotum. Si reſolvitur, redit fluxus gonorrhoeae; gradatim detumeſcit teſtis; ſed ſaepe epididymis durities ſupereſt. Si non reſolvitur, abit in ſuppurationem, vel ſcirrhum, vel gangraenam.

3. A communicata inflammatione facile deducuntur haec ſymptomata.

4. Diagnoſis

4. Diagnosis patet inter venereum et simplicem tumorem testium a causis antecedentibus.

5. Prognosis prospera, quando gonorrhoea iterum fluere incipit. Facilius resolvitur tumor a gonorrhoea quam a lue venerea ortum ducens. Semper incerta, quando inflammatio magna. Mala, si dolor cessat sine tumoris diminutione.

6. Curatur, 1. Venaesectione. 2. Fomentationibus. 3. Cataplasmatibus. 4. Fascia suspensoria. 5. Purgantibus lenioribus. 6. Mercurialibus interne sumptis, et externe applicatis. 7. Vomitu ex turpeth. mineral. 8. Dieta tenuissima, quiete, et decubitu horizontali.

Ad remanentem duritiem discutiendam, empl. mercurialia, fumigatio, balnea Akae sudantia conducunt. Haec conveniunt omnibus tumoribus venereis induratis.

Si ad suppurationem vergat, aperiatur quamprimum. Si cancere vel gangraena corripiatur, abscindatur.

Stranguria venerea.

1. Distinctio necessaria est inter inflammatoriam et habitualem stranguriam. Priore jamjam inter morbos febriles tractata, nunc ad posteriorem veniam.

2. Stranguria habitualis oritur, 1. Ab urethra cicatricibus constricta. 2. Ab excrescentiis induratis.

duratis. 3. A tumefactis proſtatis et glandulis Cowperianis.

3. Urina profluit tenui rivo, ſaepius interrupto, et aliquando bifido. Longum tempus ad veſicam exonerandam requiritur. Aliquando adeſt ſtimulus ad urinam reddendam, aliquando nullus.

4. Succurritur, 1. Urethram inflammando, ulcerando. 2. Turunda mercuriali. 3. Specillo plumbeo. 4. Apertura urethrae ad locum affectum et obicis extirpatione. 5. Si in proſtatis ſedes haeret, medicamentis in duritie teſtis jam praeſcriptis.

Bubo venereus.

1. Errant ſcriptores qui bubones inter prima luis venereae ſigna collocant. Sanguine infecto, vel non infecto, oriri poſſunt. Poſteriores ſolummodo hic tractantur.

2. Diſtinctio, 1. Eſt quando dextrum vel ſiniſtrum inguen, vel ambo tument. 2. Quando inflammatorius vel ſcirrhoidaeus eſt.

3. Oritur a viro venereo per vaſa lymphatica aſſumpto, et glandulas inguinales obſtruente.

4. Sentitur in inguine dolor cum parva duritie. Creſcit donec elevetur cutis et rubeat. Pars acute dolet et calet. Inceſſus difficilis. Bubo ad faſtigium elevatur, pulſat, purpureſcit. Tandem,

dem, ceſſantibus ſymptomatibus, pus formatum effluit, cavitas nova carne repletur, et cutis ſuperinducitur.

Sed quando indureſcit cum nullo vel minimo dolore et calore, et in eodem ſtatu remanet, tunc ſcirrhoidaeus devenit. Vel mobilis vel immobilis eſt. Procedente tempore, aliquando mutatur in carcinoma.

5. Diagnoſis facilis, inter hos et bubones peſtilentes aut ſcorbuticos, ſymptomatibus venereis antecedentibus. Ab hernia inguinali facile diſtinguitur his ſignis: hernia, ſi premitur digito, facile cedit, ſed cito reſtituitur; bubo venereus vel non cedit vel retinet veſtigium; prior tota mollis, poſterior ſolummodo ſuperne; haec ſua propria ſymptomata habet, illa ſua. Diagnoſis difficillima inter bubones locales et bubones a ſanguine infecto procedentes, quando hujus ſymptomata non adhuc apparent: priores ſemper gonorrhoeam vel cancros immediate antecedentes vel conſociantes habent; poſteriores ſine cauſa manifeſta oriuntur. Anteacta vita judicium adjuvat.

6. Prognoſis in bubone inflammatorio ſemper fauſta. Si cito diſpareat, ſanguis inficitur. Semper incerta in bubone ſcirrhoidaeo; quando dolere incipit, mala. In carcinomate, ſi non inhaeret vaſis inguinalibus, prognoſis dubia; quando haeret, incurabilis.

7. In

7. In primis diebus, quando magnitudinem vix aequat nucis caſtaneae, tuto reſolvi poteſt; ſed ſi hanc ſuperat, vel celeriter tumet, ad ſuppurationem perduci debet. Reſolutio perficitur, 1. Venaeſectione. 2. Purgantibus. 3. Mercurialibus intus ſumptis et ad locum applicatis. 4. Dieta tenui.

Suppuratio perficitur, 1. Emplaſtris maturantibus. 2. Cataplaſmatibus ſuppurantibus. 3. Dieta larga nutriente. Nulla venaeſectio neque purgatio in hoc ſtatu adminiſtranda eſt.

Suppurato omnino bubone, educatur pus per magnam aperturam, 1. Scalpello. 2. Cauſtico. Nihil amplius reſtat, quam ut ulcus depuratum carne repleatur. Sin minus recte procedit, mercurio intus ſumpto ulcus corrigitur. Victus nunc tenuis.

8. Haec, buboni venereo locali, ubicunque loci eſt, conveniunt.

9. An bubo localis ſeſe monſtrare poſſit ſine praegreſſis ſymptomatibus venereis?

Gonorrhoea non virulenta, *Anglicè*, Gleet,

1. Eſt ulcus parvum, calloſum, haud venereum, ab ulcere gonorrhoeae in ipſo glandulae emiſſario remanens, eandemque ſedem habens. Probatur, 1. Quia in illam degenerat gonorrhoea. 2. Quia in glande prope fraenum ſentitur aliquando

quando punctura. 3. Quia injectionibus irritantibus dolor ibi ſentitur, pus magna copia provenit, calet ibi urina et gonorrhoea quaſi virulenta excitatur. 4. Specillo exploratorio vel digitis comprimentibus patet. Ergo nunquam a ſola ductuum excretoriorum laxitate, vel proſtatis, aut veſiculis ſeminalibus, provenire poteſt.

2. Producitur, a nimiis et fortioribus purgantibus, repetitis diu et durantibus gonorrhoeis, corpore vel febre vel ſalivatione aliiſque cauſis debilitato. His ulceris vaſa relaxantur et cicatrizatio impeditur.

3. Ex urethra continuo fluit paulum ſaniei tenuis aquoſae, pellucidae, praecipue poſt paſtum vel nimium exercitium. Filamenta puris craſſioris in urina natant. Plus calidis tempeſtatibus quam frigidis exit. Punctura nonnunquam in glande ſentitur.

4. Diagnoſis inter hanc et ſeminis profluvium facilis; illa ſemper fluit, hoc non niſi certis temporibus.

5. Prognoſis proſperior in recenti quam antiqua. Sed ſemper incerta medela; reſtat enim adhuc opprobrium medicorum.

6. Succuritur, 1. Medicamentis adſtringentibus internis. 2. Fluxum aliter divertentibus. 3. Cantharidibus interne ſumptis. 4. Aquis mineralibus ferrugineis. 5. Injectionibus digerentibus, vel urethram rodentibus. 6. Injectionibus

ſtypticis.

ſtypticis. 7. Balneo frigido marino. 8. Victu reficiente, ſed non calefaciente; et abſtinentia a venere, poculis, nimio cibo, et ſaltatione.

7. Viribus reſtauratis, et inquietis ob morbum cogitationibus oblivioni traditis, incipit jam tempus ipſum eſſe praeſidio.

Ulcuſcula venerea, Anglicè, Shankers.

1. Cauſa eſt virus venereum acrius et ſubtilius vaſa ipſa erodens, vel glandulas ſebaceas obſtruens et inflammans.

2. Primo apparet macula rubra, quae elevatur in papulam miliarem, calentem, prurientem. Senſim albeſcit apex, et mutatur in pus flavum viſcidum. Dehiſcit, et fit ulcus inflammatum, undequaque ſerpens. Albo et calloſo margine plerumque cingitur. Tandem longe lateque paſcitur, et vicina corrumpit.

3 A viro venereo inflammante, corrodente, oriuntur haec ſymptomata.

4. Diagnoſis ab excoriatione glandis facilis; inter ulcuſcula localia et a lue venerea producta, difficilis. Si maligna, citoque ſua ſtadia decurrunt, ſi fraenum vel carunculas mirtiformes occupant, ad priora veriſimiliter pertinent: ſed ſi valde benigna, cito abeunt iterumque repullulant, ſuſpicio adeſt ſanguinis infecti.

5. Prognoſis melior, quando aquoſum laticem,

quam quando viſcidam materiam continent. Si recens neque magna inflammatio, proſpera; ſi antiquum, incerta.

6. Curatur, 1. Venaeſectione. 2. Fomentationibus et cataplaſmatibus emollientibus. 3. Mercurialibus. 4. Purgantibus. 5. Ung. mercuriali fortiſſimo, vel cauſticis mercurialibus ulceri applicatis. 6. Pene ſurſum ſuſpenſo. 7. Victu tenuiſſimo.

7. Haec ad omnia ulcuſcula localia, ubicunque ſita ſunt, conveniunt.

Tumor praeputii et glandis.

1. Tumores praeputii et glandis diſtinguuntur, 1. In inflammatorios, oedematodeos, et ſcirrhoideos. 2. In phimoſim et paraphimoſim.

2. Cauſa proxima eſt virus venereum ulcuſculorum obſtruens vaſa ſanguinea vel ſeroſa. Annumeranda quoque eſt calloſitatum compreſſio.

3. Cauſae remotae ſunt, frigus peni admiſſum, cauſtica irritantia, ſordis venereae remora, exercitium, pocula nimia, calefacientia.

4. Ab ulcuſculis inflammatis incipit praeputii glandiſque inflammatio, rubedo, calor, dolor, tumor. Febris comitatur. Coarctatur urethra, difficilis exit urina, et dolorem excitat. Praeputii vel glandis marginem obſident cryſtallinae, aquoſum laticem continentes. Similia ſympto-

mata

mata accidunt foeminis. Terminatur vel resolutione, vel scirrho, vel gangraena.

5. Si, vulneratis leviter partibus, rutilus erumpit sanguis, omnia salva sunt. Mitior oedematodeus, periculosior inflammatorius, contumax scirrhoideus. Si crystallinae appareant, gravis; si gangraena, gravior; sed si radices penis vel ostium vaginae corripuit, gravissima prognosis.

6. In tumore inflammatorio et oedematodeo, indicatio est obstructiones resolvere et gangraenam praecavere. Perficitur, 1. Venaesectione larga. 2. Purgantibus. 3. Mercurialibus. 4. Pene sursum suspenso. 5. Fomentationibus et cataplasmatibus. 6. Injectionibus emollientibus inter praeputium et glandem injectis. 7. Partes ung. mercur. illinendo. 8. Scarificatione vel incisione praeputii. 9. Parco victu; potu diluente; quiete; irritantium et causticorum evitatione; sordis venereae ablutione.

Tubercula callosa.

1. Distinctio, 1. A locis affectis. 2. A diversis eorum speciebus.

2. Oriuntur a vasis minimis et glandulis viro venereo affectis.

3. Si, sanatis venereis ulcusculis, supereſt callositas, phyma; si instar funis, chorda appella-

tur. Aliquando ſine ulcere praegreſſo germinant in pene, vulva, ano, mammis, verrucoſae ſubſtantiae. Si longae, pori; ſi breviores, verrucae; ſi minus adhuc elevatae lataeque, condylomata; ſi ſimbriatae, criſtae nominantur. Excreſcentiae quoque variae fiunt in ano. Si a cute pendula, tumefacta, criſtae; ſi a tenui pediculo, mora; ex ultimis maximae, ſici vel mariſcae nuncupantur. Si in ſulcis ani fiſſurae oriuntur, pus ſeparantes, rhagadum nomen gerunt. Omnia haec in cancrum degenerare poſſunt.

4. Diagnoſis inter localia et a lue venerea orta, petenda a frequenti repullulatione, caeteriſque ſymptomatibus.

5. Prognoſis in ſtatu ſcirrhoſa, proſpera. Si calere, dolere, lancinare incipiunt, incerta.

6. Phymata et chordae tractari debent methodis in ſcirrho praeſcriptis. Caetera tubercula curantur, 1. Amputatione. 2. Cauſticis. Rhagades, emollientibus, detergentibus, cicatrizantibus.

Lues venerea confirmata.

1. Diſtinctio, 1. A locis affectis. 2. Ab aliis morbis complicatis.

2. Oritur a viro venereo per vaſa ſanguinea, ſeroſa, lymphatica, intus aſſumpto, et omnes humores, praeſertim mucum glandularum adipemque

que inquinante. Caufis propriis concurrentibus ad propria loca faepe determinatur.

3. Caufae remotae funt omnia quae ulcera virulenta localia inflammant et exficcant, fi fint externe vel interne applicata; repulfio bubonum fine mercurio adhibito. Ergo egregie errant, qui luem a gonorrhoea nunquam productam, affirmant.

4. Recrudefcunt omnia, praeter gonorrhoeam, fymptomata localia, uti ulcufcula in pudendis, tumores teftium, bubones, tubercula penis et ani.

Palatum, fauces, membrana Sneideriana infeftantur inflammationibus, ulceribufque, cum albo et callofo margine. Hinc deglutitio impeditur, offa carie eroduntur, raucitas fequitur, anima foetet, et nafus ipfe corruit.

Quando corpus in lecto incaluit, tunc oriuntur per totum corpus dolores atrociffimi, lancinantes, dilacerantes, fed praecipue in medio tibiae, humerique; aurora appropinquante, definunt vel mitefcunt. Aliquando tumor et fuppuratio in locis dolentibus, aliquando nulla evenit.

Cutis deturpatur maculis latis, rotundis, ficcis, flavefcentibus vel purpureis, ab omnibus aliis diftinguendis. Circa frontem et tempora et pilorum radices confertim haerent puftulae fcobiofae, quibus nomen corona veneris. In volis

manuum plantiſque pedum apparent fiſſurae ichorem ſeparantes. In cute per totum corpus oriuntur inflammationes et ulcera, in latitudine ſerpentia, muſculos denudantia, pus viride flavum inſtar ſevi ſplendeſcens ſeparantia, cum orificiis parvis, complanatis, pallidis.

Glandulae diverſae infarciuntur, indurantur, tument in variis locis. Hae, ſecundum varios duritiei gradus, varia ſortiuntur nomina. A tendinibus, nervis, ligamentis, oriuntur nodi, ganglia, tophi.

Ab oſſibus elevantur exoſtoſes, acutiſſime dolentes, modo durae, modo molles, et in ſuppurationem tendentes. Oſſa ipſa carie tentantur, et ulcera ibi foetida maligna producuntur. Medulla corrumpitur, graveolens acriſque devenit, et excitat graviſſimos dolores. Capita oſſium intumeſcunt cum dolore; inde anchyloſis. Oſſa nonnunquam fragilia ad minimum ictum, nonnunquam mollia inſtar ſeri, deveniunt.

Palpebrae inflammantur, ulcerantur, oculi coecantur ſuffuſione, ductus lachrymalis clauditur, et fiſtula producitur. In aurium penetralibus inflammatio, abſceſſus, caries fit. Tympanum eroditur et pus defluit; inde tinnitus, murmur, ſurditas.

Functiones animales afficiuntur; corripitur aeger cephalalgia, haemicrania, vertigine, epilepſia, ſpaſmis, tremoribus, paralyſi. Vitales functiones

ctiones labem ſentiunt; oritur dyſpnoea, aſthma, haemoptoë, tuſſis, phthiſis, palpitatio cordis, ſyncope, intermiſſio pulſus. Labefactantur quoque naturales functiones; appetitus nullus, digeſtio proſtrata, affectiones hypochondriacae, hydrops, obſtructiones, diarrhoea ſuperveniunt.

Effoeto corpore, pallet facies, adoritur febris hectica colliquativa, ulceribus graveolentibus tabeſcit, tandemque poſt ſummos excruciatus, lenta et miſerrima morte perit.

Foeminae ſua propria ſymptomata habent, viz. ſcirrhos, ulcera, cancros in mammis et utero; fluxum nimium vel ſuppreſſionem menſtruorum; abortum; foetuſque rubentes ſine cuticula.

6. A viro venereo cum ſanguine miſto facile deducuntur haec ſymptomata. A glandulis in pudendis et ano infarctis, proveniunt ulcuſcula et tubercula. A mucoſis faucium et naſi glandulis obſtructis, ulcera haec loca depaſcentia. Vel ab acri viro venereo irritante muſculos et perioſteum, vel exoſtoſi incipienti, vel a medulla corrupta, dolores venerei; a calore dilatante humores, incrementum, et a perſpiratione aucta, lenimen dolorum. A glandulis cutis ſebaceis, puſtulae; ab adipe infra cutem infecta, ulcera. A materia oſſea effuſa et medulla corrupta, morbi oſſium. A lympha et ſemine inſpiſſato, tumores glandularum et teſtium. Ab humoribus et glandulis oculorum, morbi ocularii. A tubo

Euſtachiano, ulceribus faucium infecto, morbi aurium. Ab omnibus humoribus depravatis acribuſque, et obſtructionibus variis, laeſae functiones animales, vitales, naturales.

7. Diagnoſis difficilis ob ſimilitudinem ſymptomatum cum aliis morbis, vel ob diſſimulationem aegri. Signa quaedam certa, quaedam dubia. Priora ſunt, quando inficit alios, vel generat foetus lue infectos; quando morbi venerei locales apparent ſine coitu; quando cutis maculis, vel puſtulis ſcabioſis, vel ulceribus antea deſcriptis, deturpatur. Facillime cognoſcuntur a ſcorbuticis ulcera faucium venerea, propter cavitatem et colorem cineritium; ab angina ſuppurata, praegreſſis ſignis et diuturnitate. Exoſtoſis, ſi non a fractura vel ictu externo provenit, certiſſimum praebet ſignum. Hyperoſtoſis venerea facile diſtinguitur a rachitico, podagrico et ſtrumoſo vitio, praecedentibus horum ſymptomatibus. Cariem multa inducunt; ſed quando neque externa, neque ſcorbutica, neque ſtrumoſa, neque rachitica cauſa patet, tunc caries venerea cenſenda. Fragilitas oſſis diagnoſim certam praebet.

Poſteriora ſigna. A glandulis tumefactis et doloribus nocturnis, cautum judicium. Affectiones oculorum, aurium, capitis, pulmonum, incertam efficiunt diagnoſim. A praegreſſo corporis ſtatu judicium quoque dirigitur; ſi praeceſſerint

cesserint tubercula venerea, ulcuscula maligna, tumores praeputii glandisque, vel subita bubonis magni resolutio sine mercurio.

8. Prognosis melior in recentioribus, quam vetustioribus; in adultis, quam in senibus, vel infantibus; in foeminis, dummodo fluunt menstruà, quam in viris; in antiphlogistico sanguinis statu, quam in inflammatorio; in sanis, quam morbosis. Quo pejora secum symptomata adfert, et partes ad vitam magis necessarias adoritur, eo gravius morbi periculum. Si exostosis interna vel caries in cranio oriatur; si tubercula vel vomicae fiant in pulmonibus; si cancer in utero formetur; si medulla ossium corrumpatur, in angusto spes est. Si cum strumis, vel scorbuto, vel phthisi coit, medela difficilis. Quaedam symptomata medicamentis vix cedunt, uti dolores venerei, pustulae magnae corrosivae, testes vel glandulae tumefactae, caries.

9. Mos olim fuit morbum lign. guajaci, rad. chinae et sarsaparillae fugare; sed mutata viri venerei natura, huic operi per se nunc imparia sunt. Hodie prae omnibus merito habetur mercurius.

10. Medela perficitur vel sine salivatione, vel cum salivatione. In priore methodo mercurius ad emunctoria corporis dirigitur medicamentis huic scopo inservientibus, 1. Ad intestina, purgantibus. 2. Ad renes, diureticis. 3. Ad cutem,

tem, ſudorificis, balneis et fontanellis. Has evacuationes optime promovet ſolutio mercur. ſublim. corroſiv. in cancro jamjam memorata: ſed non adhuc experimentis ſatis comprobantur ejus vires. Requirit haec methodus aërem tepidum, ſerenum, aeſtivum; cautelam a frigore; dietam tenuiſſimam, reſpectum ad partes praecipue affectas; et perſeverantiam poſt totalem ſymptomatum receſſum. Saepe fallit haec methodus; ergo vix eligenda, niſi ubi hydrargeroſis periculoſa.

11. Salivatio nunc cenſetur tutiſſima, expeditiſſima et ſaepe jucundiſſima via. Non convenit in epilepſia, in phthiſi pulmonali, in gravidis, in ſenibus infantibuſque, in emaciatis, vel aliquo morbo febrili chronicove, praecipue diarrhoea, correptis, antequam ſugantur vel mitigantur. Ut diſtincte tractetur, in tria ſtadia, excitationis, continuationis, et deſinentiae, dividi debet.

12. Stadium primum. 1. In noſtra regione tempus autumnale, vernali; vernale, aeſtivo cedit. Hibernum frigus evitandum. 2. In plethoricis ſemper, in macilentis vel hydropicis nunquam venaeſectio inſtituenda. 3. Lenis purgatio adhibenda. 4. Diluentibus potionibus et balneis tepidis relaxanda et implenda vaſa. 5. Induſiis lanae mollis corpus veſtiendum. 6. Tunc mercurius lente in vaſa ingerendus. Ex-

terna

terna applicatio juncturis forma unguenti optime respondet.

Stadium secundum. 1. Ptyalismus in succidis excitandus est ad sex libras, in macilentis ad quatuor spatio viginti quatuor horarum. 2. Pulsus nunquam assurgere debet ultra centum pulsationes spatio unius minuti; aliter vera febris symptomata superveniunt. 3. Calor cubiculi optime versatur circa 70 gr. thermometri Farenheitiani. 4. Per diem noctemque talis situs eligatur, qui exitum salivae patefacit. 5. Potus largus, et dieta tenuissima, humectans convenit: evitatis pinguibus, oleosis, calefacientibus. 6. In hoc statu sustineatur ptyalismus, donec dispareant omnia luis symptomata, quae fugat mercurius.

Stadium tertium. 1. Sua propria porta exeat mercurius. 2. Purgatio una vel altera lenis praescribenda. 3. Victus magis nutriens, sed eupeptus, permittendus. 4. Caute admodum ad aërem externum redeundum. 5. Exercitium et rusticatio sanitatem confirmant.

13. Mercurius secum adfert sua incommoda et pericula.

In primo stadio, 1. Si mercurio non excitatur ptyalysmus, vomitu ex turpeth. miner. promovetur. Sed non instandum, repugnante natura; quia sine salivatione suum opus saepe perficit. 2. Accidit aliquando a nimia festinatione vel

frigore

frigore concepto, quod facies et labia tument, lingua magnopere tumefacta extrorſum prominet, et febris ſequitur. Non vacat periculo hic ſtatus. Ergo immediate venaeſectione larga, purgantibus, vapore fomentationum ad loca affecta applicato, ſudorificis, induſiorum mercurialium detractione, vis mercurii minui debet. 3. Si morbus febrilis adoritur aegrum, inunctio ſiſtenda. 4. Si diarrhoea ſupervenit, vomitu et opiatis repetitis curatur.

In ſtadio ſecundo, 1. Si accidit ſputum ſanguinis, poſt debitam venaeſectionem, pectoralia et adſtringentia adminiſtranda, mercuriique vis retundenda, vel omnino coërcenda. 2. Si ptyaliſmus, ob aliquam cauſam urgentem, immediate ſiſti debet, flore ſulphuris gradatim aſſumpto optime perficitur. 3. Si epilepſia ſupervenit, venaeſectione, vomitu et cautela in mercurio adminiſtrando opus eſt. 4. Si menſes nimium fluunt, mercurius inhibendus et adſtringentia praeſcribenda. 5. Ad inflammationem oris, continua cum decoctionibus emollientibus ablutio. 6. Si alvus nimium conſtipata, leniſſimo aperiente ſolvitur.

In tertio ſtadio, 1. Ad ulcera profunda et haemorrhagias oris, adſtringentia. 2. Ad coaleſcentiam linguae cum partibus vicinis, diſſociatio. 3. Ad conſtrictionem maxillae inferioris, vix ullum invenitur remedium.

14. Remanent

14. Remanent aliqua ſymptomata poſt ptyaliſmum. 1. Ulcera faucium, quae curantur gargariſmatibus ſtypticis. 2. Ad ulcera contumacia in cute, fonticuli et ung. detergentia. 3. Dolores rheumatici tolluntur decoctionibus lignorum, frictione ad locum et thermis. 4. Caries oſſis ſcalpro exſcindi vel actuali cauterio inuri debet. 5. Exoſtoſis, ſi non cedit ung. mercuriali fortiſſimo, abſcindenda. 6. Ulcus uteri curatur purgantibus, et injectionibus detergentibus. 7. Ad corpus vi mercurii fractum, amara cum cortice Peruviano. 8. Depreſſus naſus falcitur, ſepto arte facto.

15. Quare tam varia habet ſymptomata, et tam varios imitatur morbos lues venerea?

SECT. III.

De menſibus.

1. MEnſes circiter annum decimum quartum vel quintum apparent, et circiter annum quadrageſimum nonum ſiſtuntur, habita ratione ad regimen, victum, temperiemque.

2. Sex, ſeptem, vel decem unciae ſanguinis boni et rutili plerumque ſecernuntur. In fluxus duratione magna quoque variatio.

3. In pregnantibus, praeſertim poſt tertium menſem,

menſem, et lactantibus, haud fluunt menſes.

4. Ab arteriis uteri vaginaeque evaneſcentibus prodeunt menſes.

5. An plethora, praecipue ipſius uteri, ortum habens a perſpiratione muliebri parca, peculiari hujus viſceris compage, et vaſis facile diſtenſilibus, cauſa ſit proxima fluxus muliebris? Huic opinioni favent pondus corporis per multos annos idem remanens, vires profluvio ſanguinis non diminutae, ſymptomataque.

6. Adſunt horrores; laſſitudo; in lumbis aeſtus, dolor, et pondus; febricula; cephalalgia; appetitus proſtratus; oculorum hebetudo.

7. Ob laxam et facile dilatabilem uteri compagem, ob ſanguinis perpendicularem altitudinem, ob venas uteri valvulis carentes, facilius per has quam per alias vias elabitur ſanguis ſuperfluus, et ibi generat aeſtum, dolorem et pondus.

8. Quare bruta animalia, ſimia excepta, menſes non patiuntur? Quare non aeque reſpondet phlebotomia, ac fluxus ſanguinis per uterum? Quare menſibus incipientibus, turgent mammae? An ſolennis ſecretio in hominibus obſervetur?

SECT.

SECT. IV.

Obstructio vel suppressio mensium.

1. SI, longioribus intervallis et minus copiose quam par est, fluant menses, tunc obstrui; si non omnino fluant, tunc supprimi dicuntur.

2. Causae remotae sunt subitum frigus; ingesta viscida et acida; tristitia et metus; morbi praegressi; evacuationes nimiae; medicamenta adstringentia.

3. Causae proximae sunt, 1. Nimia vasorum uterinorum rigiditas. 2. Uteri compressio a tumoribus vicinis. 3. Uteri coalescentia. 4. Humorum lentor.

4. Adsunt dolor et aestus lumborum, coxarumque; arteriarum pulsatio, cephalalgia; appetitus prostratus; languor; horrores; febricula lenta; urina crassa et rubra; inflammatio, suppuratio, vel gangraena uteri; varices, tumores crurum; ventris inflammationes; vomitus; anxietas; tussis; dyspnoea; tabes; cordis palpitatio; syncope; vertigo; apoplexia; insania; chlorosis; pica; fluor albus; haemorrhagiae variae.

5. A sanguine menstruo, qui evacuari solebat, uterum infarciente, et per nervorum sympathiam universum

universum corpus turbante, rite fluunt haec symptomata.

6. Diagnosis hujus mali in initio a graviditate difficilis; petitur a foedo colore, symptomatibus post quartum mensem non recedentibus, et nullo motu in utero percepto.

7. Prognosis variat secundum symptomata, tempus suppressionis, aetatem, causasque.

8. In nimia vasorum rigiditate indicatio est, 1. Fibras uterinas relaxare fomentationibus, balneis tepidis, et inunctionibus emollientibus: Vel, 2. Momentum sanguinis intendere cardiacis.

In humorum lentore indicatio est particulas cohaerentes disjungere, et momentum fluidorum augere. Perficitur, 1. Sanguinis missione a vena saphena, si adsit plethora. 2. Cucurbitulis. 3. Frictionibus crurum. 4. Catharsi forti. 5. Vomitu. 6. Emmenagogis.

Dieta eupepta et nutriens, motus corporis, et aër ad caliditatem vergens, conveniunt.

9. Immerito ab hoc vitio distinguitur chlorosis seu febris virginum pallida; idem enim est morbus.

SECT.

SECT. V.

Nimia menſium profuſio.

1. NImia eſt profuſio, quando exinde debilitatur foemina. Accidit ſaepe circa annum quadrageſimum quintum.

2. Cauſae remotae ſunt nimia ſalacitas; morbi febriles; ebrietas; immodicum exercitium; ſternutatio; ſaltatio; vomitus; animi pathemata; paſſiones hyſtericae; evacuationes repreſſae; emmenagoga; peſſorum acrium uſus; morbi uteri, quales ſunt ſcirrhi, cancri vel polypi.

3. Cauſae proximae ſunt, 1. Sanguinis nimis rarefactus, tenuis et acris. 2. Vaſa nimis debilia.

4. Adſunt color foedus; debilitas; appetitus proſtratus; anxietas; ſyncope; extremorum frigus; convulſio; ſuffocatio; febriles ardores; tumores oedematoſi; hydrops; cachexia; fluor albus; atrophia.

5. Hiſce ſymptomatibus originem praebet haemorrhagia.

6. Prognoſis infauſta, quando ſupervenit convulſio; vel quando oritur ab inſanabili uteri morbo.

7. In ſanguine nimis rarefacto, tenui vel acri, ſcopus eſt, 1. Revellere venaeſectione in brachio,

ſi vires adhuc integrae; vel cucurbitulis. 2. Condenſare et demulcere medicamentis coagulantibus et demulcentibus, inter quae eminet ſpir. vitriol. cum adſtringentibus.

In vaſorum debilitate ſcopus eſt elaſticitatem reſtituere adſtringentibus interne et externe applicatis.

Conveniunt aër ſiccus et ad frigidum vergens; cibus et potus nutriens, refrigerans, et exſiccans; animus a pathematibus vacuus; abſtinentia a venere; et in decubitu caput depreſſum, cruraque elevata.

SECT. VI.

Fluor albus.

1. FLuor albus eſt excretio continua humoris albi, ſubrubri, vel viridis, nunc mitis, nunc acris, ab utero.

2. Foeminae praeſertim laxioris habitus, ab anno quarto decimo huic malo maxime obnoxiae. Quandoque infantibus accidit.

3. Diſtinctiones ſolummodo petuntur a colore, qualitate, copia, et tempore fluxus.

4. Sedes hujus mali eſt in glandulis, lacunis mucoſis, et arteriis minimis in cavitatem uteri vaginaeque dehiſcentibus.

5. Cauſae

5. Caufae remotae funt aër humidus; dieta nimis tenax; otium; metaftafis humorum; ufus thermarum nimius; fluxus menfium immodicus; abortus vel partus difficilis; venus effraenata; obftructio menfium; lapfus inopinati, et luxationes lumborum.

6. Caufae proximae funt, 1. Serofa colluvies. 2. Laxa uteri compages.

7. Adfunt continuus vel interruptus fluxus humorum; appetitus proftratus; pica; refpiratio difficilis; palpebrarum tumor; febris hectica; lumborum dolor; urina turbida; triftitia; aqua intercus; ulcerationes leves uteri vaginaeque; palpitatio; fyncope.

8. A nimia copia et fluxu feri oriuntur haec fymptomata.

9. Diftinguitur a menfibus decoloribus, quia hi periodum fervant; ab ulcere uteri, fymptomatibus fuppurationem praecedentibus; a gonorrhoea, quia in hac adfunt genitalium phlogofis, ulcera, et humor fecernitur a lacunis prope clitoridem.

10. Fluor albus impregnationem difficilem et abortum facilem reddit. Quo morbus recentior et magis albicans humor, eo melior; quo antiquior et magis viridis vel fufcus, eo pejor prognofis. Quando dolores acuti, cancer metuendus.

11. Ad medelam perficiendam requiritur, 1.

Ut humorum vitium corrigatur, et fluxus ad uterum impediatur. 2. Ut tonus uteri reſtituatur.

Humorum vitium corrigitur et ſeri fluxus ad uterum impeditur, 1. Laxantibus amaris. 2. Diaphoreticis. 3. Fontanellis. 4. Aq. calcis.

Tonus uteri reſtituitur exſiccantibus, roborantibus et adſtringentibus interne et externe applicatis, balneoque frigido.

Si humor acris vel foetidus, alternantia mercurialia praemittenda. Dieta ſit exſiccans et eupepta, aër ſiccus, a venere et animi pathematibus abſtinentia, exercitium lene.

SECT. VII.

Furor uterinus, et ſatyriaſis vel priapiſmus.

1. FUror uterinus eſt furioſus et inſatiabilis veneris appetitus cum mania conjuncta.

2. Cauſae remotae ſunt menſium obſtructio; ebrietas; cibi calefacientes; cogitationes et hiſtoriae venereae; nimius emmenagogorum calidorum uſus; cantharides; ſtimulantia utero applicata.

3. Cauſae proximae ſunt, 1. Acrimonia humorum a clitori, vagina, vel utero ſeparatorum.

2. Partium

2. Partium genitalium nimia tenſitas et inflammatio.

4. Foemina primo triſtis et taciturna fit, erubeſcit; pulſuſque mutatur de rebus venereis facta mentione. Poſtea mania correpta in riſus et fletus conjicitur, de venere palam loquitur, et obvios ad copulam ſollicitat.

5. Hilaritas, audita de amore fabula, diſtinguit furorem uterinum incipientem, a melancholia vera.

6. Prognoſis fauſta, quando rerum venerearum mentio non amplius eas afficit.

7. Ad medelam perficiendam phlogoſis partium tollenda, et acrimonia humorum mitiganda.

Phlogoſis tollitur, 1. Venaeſectione larga et ſaepe repetita. 2. Purgantibus refrigerantibus et clyſmatibus emollientibus. 3. Balneis, fomentationibus, et injectionibus utero applicatis. 4. Antiphlogiſticis, viz. nitro et emulſ. Arabic.

Acrimonia mitigatur, 1. Demulcentibus. 2. Narcoticis.

Dieta parca et refrigerans, aër frigidiuſculus, modicum exercitium, evitatis cogitationibus et hiſtoriis libidinoſis, conveniunt.

8. An coitus permittendus?

9. Satyriaſis vel priapiſmus virorum eaſdem cauſas agnoſcit, et eodem modo curatur.

SECT. VIII.

Impotentia vel ſterilitas virilis.

1. ORitur, 1. A ſeminis inopia vel vitio. 2. A reſolutione pudendorum. 3. Ab impedita ſeminis ejaculatione.

2. Imminuitur vel vitiatur ſemen ob pravum victum; inediam; corpulentiam; medicamenta refrigerantia, vel ſeminis generationi inimica; veneris abuſum; nimiam caſtitatem; virus venereum; tumores teſtium; ſenium.

3. Reſolutio pudendorum inducitur a contuſionibus; caſu ſupra os ſacrum; applicationibus emollientibus; urethrae ulcere; pudore; terrore; capitis laeſionibus.

4. Ejaculatio ſeminis impeditur a lapidibus vel tumoribus emiſſaria veſicularum ſeminalium occludentibus; perforatione obliqua; incurvato pene.

5. Seminis vitium vel inopia cognoſcitur a nullo ad venerem ſtimulo, nimia ejus tenuitate et parva copia in copula emiſſa: reſolutio genitalium a laeſione praecedente, et ſeminis emiſſione ſine erectione: impeditus ſeminis egreſſus a ſtimulo ad venerem non imminuto.

6. Medela cauſis accommodanda. Deficientia

vel

vel vitium feminis refarcitur, 1. Reftaurantibus, quae fuccum gelatinofum praebent. 2. Dieta nutriente praecipue ex avibus fylveftribus; evitatis evacuationibus, ebrietate, acidis, triftitiaque. 3. Sedula attentione ad caufas, viz. corpulentiam, tumores teftium, vel virus venereum.

Refolutio genitalium tollitur, 1. Stimulantibus interne fumptis et externe peni applicatis. 2. Roborantibus, inter quae eminet balneum frigidum. 3. Dieta calefaciente, exficcante.

Obftacula feminis egreffum impedientia artem chirurgicam poftulant.

SECT. IX.

Sterilitas muliebris.

1. UBI foemina maturae aetatis non concepit poft multiplices cum viro coitus, fterilis dicitur. Ergo in veram et relativam merito diftingui debet.

2. Oritur, 1. A femine haud in uterum penetrante ob os coalitum, vel tumoribus occlufum; fitum obliquum; vel voluptatem e coitu nimis languidam. 2. A femine non retento, vel non abforpto, ob orificium uteri laxum, diverfos fluxus vel haemorrhagias uterinas, denfitatem vel

ſcirrhoſitatem matricis, vel internam ejus ſuperficiem viſcida materia repletam. 3. Ab ovarii et tubarum Fallopianarum vitiis ſeroſis, hydropicis, multiſque aliis quae ſupponi poſſunt. 4. A pravis humorum uterinorum qualitatibus ob nimium calorem uteri, fluxum album acrem, vel ulcera uteri. Quaedam medicamenta conceptionem impedire perhibentur.

3. Os uteri clauſum, a celeri effluxu ſeminis, tactu, ſymptomatibuſque praecedentibus; ſeminis abſorptio impedita, a menſium obſtructionibus, fluxu humorum vario, et poſt aliquot dies ſeminis ejectione; vitia ovarii et tubarum difficillime, ſi nullus tumor externe apparet; depravatio humorum uterinorum, a calore et cachexia corporis, humorumque evacuatorum examinatione, deprehenduntur.

4. Prognoſis fauſta, quando provenit a menſibus ſuppreſſis, fluore albo, vel fluxu acri; ſed ſemper incerta in obſtructionibus vaginae, uteri, ovariorum, vel tubarum Fallopianarum.

5. Quando os uteri clauditur, ars chirurgica tentanda eſt. Appetitus venereus, ſi languet, excitandus.

Si nimia humorum copia ab utero ſeparetur, evacuantia, exſiccantia, et roborantia uſurpanda. Si ſcirrho laboret uterus, vix medelae auſcultat: ut et vitia ovarii et tubarum Fallopianarum.

Nimius uteri calor contemperatur injectionibus

bus in uterum, dieta refrigerante, et clyſmatibus. Ulcerum et fluoris albi humor acris, ſublatis cauſis, ceſſat.

SECT. X.

Gravidarum morbi.

1. Signa conceptionis, praeſertim in initio, valde obſcura, multis aliis morbis communia, et in diverſis foeminis diverſa ſunt. Sequentia plerumque accidunt. Menſes, poſt primum, ſecundum, vel tertium menſem, omnino ſuppreſſae vel diminutae, et mala hinc pendentia; motus in utero circa quartum vel quintum menſem; mammae intumeſcentes, et quando comprimuntur, ſeroſum liquorem ſtillantes; areolae fuſcae; tumor abdominis praecipue verſus partem inferiorem. Sed certa ſunt, attenuatio cervicis uteri per tactum detecta, et motus foetus externe perceptus. Tempus graviditatis ab exploratione craſſitiei cervicis uteri, et intumeſcentiae abdominis propinquitate ad hypochondria, cognoſcitur. Sexus vix, numerus foetuum difficillime, praedici poteſt.

2. Graviditas diſtinguitur ab hydrope ob hujus tumorem deorſum vergentem, fluctuationem et ſitim: a mola, ob pondus gravativum, abdominis

minis aequalem intumeſcentiam, et nullum in utero motum.

3. Gravidarum morbi varii ſunt in diverſis foeminis. Nonnullae melius ſe habent quando gravidae; dum aliae per totum geſtationis tempus aegrotant.

4. Incommoda quae gravidis accidunt primis menſibus ſunt, appetitus proſtratus, vel depravatus; nauſea; vomitus; torpor; gravitas; dolor capitis; vertigo; animi deliquia; dyſpnoea; tumor et dolor mammarum; odontalgia; haemorrhagia uteri et narium. Haec ſymptomata a menſibus retentis, uteroque infarcto et increſcente, ortum ducunt.

5. Incommoda quae accidunt ultimis menſibus ſunt, tumores pedum; labiorum pudendi oedema; varices; tenſiones abdominis; dolor dorſi, lumborumque; ſpirandi difficultas; obſtructio alvi; flatus; haemorrhoides; ſuppreſſio urinae: a foetu undique premente oriuntur.

6. Priora ſymptomata tolluntur, 1. Sanguinis miſſione, menſuranda pulſu, retentione menſium, et tempore geſtationis. 2. Medicamentis unicuique ſymptomati accommodatis. 3. Dieta parca et tenui, aëreque temperato; motu violento, animi affectionibus immoderatis, et ſpectaculis horridis evitatis.

7. Poſteriora mitigantur, 1. Venaeſectione caute adminiſtrata. 2. Faſciis et ſitu horizontali.

3. Medicamentis

3. Medicamentis ſymptomati unicuique dicatis.
4. Dieta modica, ſed pleniore quam antea, et moderato exercitio.

SECT. XI.

Abortus.

1. ABortus eſt excluſio foetus immatura. Tertio plerumque menſe accidit.

2. Cauſae remotae ſunt ſtatus morboſus, vel mors foetus; morbus uteri, vel partium utero vicinarum, uti inflammatio, ulcera, vulnus, teneſmus; nimis violenta ſanguinis determinatio ad uterum exercitiis immodicis, emmenagogis, diureticis; validae muſculorum abdominalium contractiones ab irritantibus catharticis, tuſſi, convulſionibus, ſubita brachiorum elevatione, lapſu proclivi; ſpirituum perturbationes ab animi affectionibus, vel ingratis odoribus; debilitas et relaxatio uteri a fluore albo, partu praecedente difficile, vel labe haereditaria.

3. Cauſa proxima abortus eadem eſt ac partus naturalis, nempe uteri maſculorumque abdominalium violenta contractio ab irritatione praegreſſa.

4. Adſunt horripilatio; frigus extremitatum; dolores ventris et lumborum ad os ſacrum et pubem

bem tendentes; pulſus citatus; relaxatio oris uteri; aquae ſanguiniſque effluxus; animi deliquia; foetus expulſio.

5. Prognoſis incerta quando primipara, vel debilis eſt foemina, quando cauſae violentae agunt, quando foetus computruit, vel quando poſtremis menſibus accidit abortus; raro enim adeſt periculum ante quintum menſem. Syncope vel convulſiones, nimiam haemorrhagiam ſecutae, periculum maximum oſtendunt.

6. Orgaſmus et effluxus ſanguinis compeſcendus eſt, 1. Phlebotomia, ſi adſit plethora. 2. Adſtringentibus internis et externis.

Irritatio uteri tollenda, 1. Antiſpaſmodicis et leniſſimis antihyſtericis. 2. Narcoticis. 3. Leniendo cauſas remotas irritantes.

Quies corporis et animi, dieta parca et tenuis, aër temperatus, et decubitus cum hypogaſtrio elevato, conveniunt.

7. Si duret adhuc ſanguinis effluxus periculoſus, vel aquae affluant, tunc foetus, quocunque geſtationis tempore, obſtetricis manu educendus, et gravida, ut in partu naturali, tractanda.

8. In praecavendo abortu, inanitio et plethora aequaliter pertimeſcenda, cauſae remotae vitandae vel tollendae, et uteri cachexia corrigenda.

SECT.

SECT. XII.

De puerperarum tractatione in genere.

1. PUerperis in genere conveniunt primis diebus dieta ſorbilis nutriens et eupepta; decubitus in lecto per plurimos dies; quies; aër ad calidum vergens; animi tranquillitas; continuus cutis mador; paregorica; et purgatio, antequam ſe ad conſueta munera accingant.

2. Puerperarum incommoda praecipue ſunt lochiorum fluxus nimius, lochiorum diminutio vel retentio, dolores poſt partum, febris lactea et a lacte pendentia mala. Haec peculiarem conſiderationem merentur; caetera quae a partu proveniunt ſymptomata, uti urinae incontinentia vel difficultas, paroxyſmi hyſterici, haemorrhoides, procidentia uteri vel ani, excoriatio vel dilaceratio vulvae et perinaei, abſceſſus, methodo, in hiſce morbis uſitata, tractanda.

SECT.

SECT. XIII.

Fluxus lochiorum nimius.

1. FLuxus lochiorum immodicus non ſolum a copia ſanguinis effluente, ſed a virium proſtratione, pulſus debilitate, vertigine, ſyncope et convulſionibus, judicatur.

2. Cauſae proximae ſunt tonus fibrarum uterinarum amiſſus; contractio impedita ob grumos ſanguinis, vel fruſtula placentae in utero relicta; laeſio uteri.

3. Periculum ſummum ſubitae mortis imminet.

4. Curatur, 1. Cucurbitulis ſine ſcarificatione mammis, lumbis, imoque ventri applicatis: ſanguinis enim miſſio, ni adſit plethora, jam exhauſtam praecipitat. 2. Extractione corporum extraneorum. 3. Adſtringentibus internis et externis. 4. Narcoticis. 5. Dieta nutriente et ſolido potius quam fluido, aëre non minus calido, quiete et ſomno, decubitu ſupino. 6. Abdomen faſcia ligando.

SECT.

SECT. XIV.

Lochiorum diminutio vel ſuppreſſio.

1. CAuſae remotae ſunt diarrhoea; animi pathemata; aër vel potus frigidus; medicamenta adſtringentia; perſpiratio obſtructa; uteri inflammatio; paroxyſmi hyſterici.

2. Cauſa proxima eſt, convulſiva vaſorum uterinorum conſtrictio.

3. Stipatur tumore et duritie abdominis, ſi non adſit diarrhoea; doloribus ad lumbos, inguina et renes permeantibus; rigoribus; febribus acutis variis, uti purpura puerperarum, febre miliari, pleuritide, peripneumonia, phrenitide, angina, hepatitide, inflammationibus ventriculi, uteri, aliarumque partium; omnibuſque aliis ſymptomatibus quae has febres comitari ſolent.

4. Quo citius accidit et graviora parit ſymptomata, eo majus periculum. Haemorrhagiae, vel ſudores naturales ſupervenientes, fauſtum reddunt prognoſim.

5. Lochia iterum revocantur, 1. Venaeſectione in talo, pedum in aqua tepida immerſione, et cucurbitulis partibus inferioribus applicatis. 2. Vaſa uterina relaxando clyſmatibus, fomentationibus,

nibus, injectionibus, et cataplasmatibus emollientibus. 3. Tollendo causas remotas, nempe diarrhoeam, perspirationem obstructam, paroxysmos hystericos, vel inflammationem uteri medicamentis hisce dicatis. 4. Potu multo diluente et capite sublime habito.

6. Si adsint febres inflammatoriae, medelam ipsis propriam postulant, ratione semper habita ad causam, nempe lochiorum retentionem.

SECT. XV.

Dolores post partum.

1. ORiuntur a frustulis placentae relictis; grumis sanguinis; lochiis retentis; flatu abdominis; utero vel ligamentis nimis distentis.

2. In laesionibus uteri et ligamentorum conducunt blanda oleosa interne sumpta. Frustula placentae et grumi sanguinis extrahenda. Flatus abdominis clysmatibus spiritum digerentibus dispellitur. In omnibus fere summum remedium est opium.

SECT.

SECT. XVI.

Febris lactea.

1. SEcundo, tertio, vel quarto die, puerpera corripitur rigoribus; febre; tumore et dolore mammarum qui ad axillam tendit. Poſt diem unum vel alterum febris judicatur ſudoribus vel diarrhoea. Hic morbus ad febriles pertinet.

2. Ceſſante vel imminuto multum lochiorum fluxu, humores ad mammas molles et pendulas ruunt, febremque excitant. Dolor axillarum oritur a communicatione inter mammas et glandulas axillares ope vaſorum lymphaticorum.

3. Si febris adſit acuta mitigatur, 1. Diaphoreticis et antacidis. 2. Clyſmatibus. 3. Potu multo diluente. 4. Embrocatione mammarum relaxante.

4. Lac in mammis ob copiam, ſpiſſitudinem, vel acredinem ſaepe ſtagnat, et tumores inaequales inflammatorios producit. Curantur ſuctione, reſolventibus, evacuationibus, et antacidis.

5. Eodem modo tolluntur inflammationes, quae in diverſis locis oriuntur, a lacte intra vaſa retento,

6. Lac a mammis repellitur medicamentis to-

picis diſcutientibus et clyſmatibus, ſuctione prius adhibita.

PARS QUINTA.

De morbis infantium et puerorum.

SECT. I.

De morbis infantilibus et puerilibus in genere.

1. MORBI ad decimum fere annum hoc titulo inſigniuntur.

2. Cauſae morborum infantilium et puerilium ad has claſſes reduci poſſunt, 1. Varias mutationes in ſuo ſtatu a natura inductas. 2. Dietam lacteam aceſcentem. 3. Lac nutricum vitiatum. 4. Fibrarum muſcularium debilitatem. 5. Senſibilitatem generis nervoſi. 6. Labem haereditariam.

3. Diagnoſis morborum infantilium petitur praecipue a ructu acido; nauſea; vomitu; materia ejecta per os, vel anum; ploratu; vigiliis; inquietudine; ſiti; reſpiratione; convulſionibus; parentum morbis; puſtulis vel ulceribus interne, externeve

externeve conſpiciendis. Pulſus et urina incerta praebent indicia.

4. Facilius in morbos incidit, faciliuſque e morbis elabitur, tenera quam provecta aetas. Infantes laxam alvum ſaniores ſunt quam conſtipatam habentes. Corpulentiores magis obnoxii rachitidi, ſcrophulae, tuſſi convulſivae, aphthiſque; macilentiores febribus inflammatoriis. Convulſiones, praecipue cum diuturnis vigiliis, infirmis mortiferae.

5. In morbis infantium curandis mitiſſima eligenda ſunt medicamenta.

6. Ad praecavendos morbos, convenit meconium e primis viis expellere, antequam lactetur infans, ſi natura huic operi non ſufficiat.

7. Eligenda quoque eſt nutrix ſana; dentes et pulmones integros habens; gracilis potius quam obeſa; hilaris; non primipara; neque ebrietati, iracundiae, aut veneri dedita; lac ſubdulce, inodorum, album, non nimis vetuſtum, neque nimis tenue aut viſcidum ſecernens.

8. Lac maternum alieno anteponendum, ob laxantem coloſtri qualitatem, habitum ſimilem, et animi vitia a nutrice ſaepe impreſſa.

SECT. II.

Morbus ab acido.

1. MUlta parit mala acidum in primis viis teneros nervos laedens, et lac in maſſam tenacem coagulans.

2. Hinc ſequuntur ructus acidi; nauſea; vomitus lactis coagulati; jactatio; inquietudo; ploratus; mammarum averſatio; flatus; tormina, et intumeſcentia ventris; ſpirandi anguſtia; alvi adſtrictio, vel diarrhoea cum foecibus virideſcentibus, et corroſivis; maraſmus; tuſſis ſicca; pallor; flacciditas; convulſiones.

3. Facile in initio curantur, 1. Aciditatem corrigendo abſorbentibus vel inviſcantibus. 2. Materiam peccantem leniſſimis purgantibus evacuando.

4. Symptomata mitigantur, 1. Spiritum digerentibus. 2. Enematibus ſpaſmum inteſtinorum relaxantibus. 3. Fomentationibus, cataplaſmatibus, vel inunctionibus ſpiritum digerentibus abdomini externe applicatis. Opiata cane pejus et angue vitanda ſunt.

5. Ad praecavendam aciditatem nutrix veſcatur carnibus, earumque juſculis, evitatis leguminibus aceſcentibus.

SECT.

SECT. III.

Aphthae.

1. APhthae ſeſe produnt alba cruſta in ore, faucibus, oeſophago, et aliquando in toto tubo alimentari. Os inflammatur et dolet. Lactis ſuctio et deglutitio impeditur. Hinc inquietudo, vigiliae, febris.

2. Diſtinguuntur, 1. In genuinas et ſymptomaticas. 2. In benignas et malignas.

3. Cauſae remotae ſunt, nimis violenti conatus in fugendo; oris frictio ab externis cauſis; lac nutricis vitiatum; lac bonum in acidam indolem degenerans.

4. Cauſa proxima eſt nimia ſpiſſitudo vel acrimonia humorum, qui a glandulis parvis mucoſis oris, faucium, &c. ſeparantur; hinc inflammationes et cruſtae.

5. Prognoſis infauſta quando nigra vel foetida ſunt ulcuſcula, vel deglutitio impeditur.

6. Tolluntur, 1. Sanguinis diminutione, ſi inflammatio adſit magna. 2. Alvum leniter ducentibus. 3. Abſorbentibus. 4. Externis applicationibus detergentibus et exſiccantibus.

7. Si in culpa eſt nutrix, vel alia conducenda, vel lac corrigendum.

8. Aphthae ſymptomaticae medela ad ipſum morbum primarium applicata curantur.

SECT. IV.

Dentitio.

1. DEntitio incipit ſeptimo, octavo, nono, vel decimo menſe, et quarto plerumque anno finitur, dentibus ſapientiae exceptis.

2. Dentitio difficilis ſic ſe habet. Infans plorat, vigilat, calet, papillas nutricis mordet, et digitos in os ſaepe immittit. Gingivae dolent, rubent in baſi, ſed in apice albicant et acuminantur. Os ſcatet ſaliva. Vel conſtipatur, vel ſolvitur alvus. Sequuntur febris; ſomnolentia; aphthae; gangraenae; convulſiones.

3. Cauſa horum ſymptomatum proxima eſt tenſio, inflammatio et terebratio gingivarum.

4. Diagnoſis facilis ab aetate infantis et oris inſpectione.

5. Prognoſis eo periculoſior quo magis debile genus nervoſum, quo magis inflammatoria conſtitutio, quo plures ſimul erumpunt dentes. Salivatio et alvus ſoluta benigna; febris acuta, ſomnolentia, et convulſiones, peſſima ſymptomata ſunt.

6. Medela

6. Medela perficitur eruptionem dentium promovendo, et inflammationem temperando.

Eruptio promovetur, 1. Emolliendo et relaxando gingivas. 2. Comprimendo gingivas contra dentes, corporum durorum et glabrorum affrictu. 3. Incisione vesiculae albae, quando dentes jamjam adsunt.

Inflammatio minuitur, 1. Sanguinis detractione. 2. Alvi solutione. 3. Regimine temperato. 4. Vesicatoriis.

SECT. V.

Vermes.

1. UNaquaeque aetas, sed praecipue infantilis, post oblactationem, vermibus infestatur.

2. Distinguuntur in lumbricos, tineas, cucurbitinos, et ascarides.

3. Generationi vermium favent aër humidus, constitutio imbecilla, et prava dieta ex caseo, fructibus horaeis, leguminibus, saccharatis, et farinaceis.

4. Ex ovis deglutitis et fotis intestinorum humiditate, caliditate, humoribusque mucilaginosis, producuntur.

5. Adsunt vigilatio; narium pruritus; ructus acidi; nausea; appetitus dejectus, vel caninus;

ſalivae fluxus; halena foetida; tuſſis; aſpectus lugubris; oedematoſa labii ſuperioris, et aperturae narium tumefactio; facies pallida cum maculis rubris; oſcitationes; ſingultus; abdomen tumefactum et induratum; morſus circa umbilicum; diarrhoea; ſtridor dentium; convulſiones; ſincope; febris erratica. Variant ſymptomata ſecundum locum affectum.

6. A vermibus ductum inteſtinalem obſtruentibus vel rodentibus, nidiſque eorum mucilaginoſis vel putredis, haec producuntur.

7. Diagnoſis petitur a laxo habitu, dieta, ſymptomatibus; ſed praecipue tumore labii ſuperioris nariumque, et vermium excretione.

8. Prognoſis proſperior in aſcaridibus, quam lumbricis; in albis, quam in nigris lumbricis. Vermes, in aliis morbis excreti, putrefactionem humorum inteſtinalium arguunt.

9. Curatur hic morbus, 1. Acidis. 2. Amaris. 3. Oleoſis. 4. Mercurialibus. 5. Vitriolo ferri, vel aquis ferrugineis. 6. Pulvere ſtanni. 7. Variis ſpecificis, uti corn. cerv. praep. allio, ſem. ſantonic. tanacet. aſſ. foetid. aq. calc. 8. Clyſmatibus primo dulcibus, dein amaris. 9. Emplaſtris ex amaris umbilico applicandis. 10. Dieta vermibus contraria.

In aſcaridibus adeſt pruritus moleſtus in inteſtino recto, tumor et inflammatio ani, alvi fluxus, tenesmus; ſed abſunt omnia antedicta ſymptomata.

mata. Summum remedium eſt aqua ſulphuria ſalina vici *Harrowgate* dicti, ſuperne et inferne adminiſtrata.

SECT. VI.

Vigilatio, pavor in ſomno, convulſiones.

1. VIgilatio a nervorum irritatione provenit: hinc ab acido, aphthis, vermibus, dentitione, inflammationibus, omnibuſque dolorem excitantibus producitur.

2. Comitatur macies, febris et diarrhoea.

3. Curatur, 1. Morbum primarium tollendo. 2. Narcotica parce adminiſtrando, quando poſtulat vis morbi.

4. Hinc cognoſcitur cauſa et medela pavoris in ſomno.

5. Ab iiſdem cauſis fortius augentibus producuntur convulſiones ſymptomaticae. Tolluntur attentione ad morbum primarium et antihyſtericis.

SECT.

SECT. VII.

Cruſta lactea, tinea, impetigo, &c.

1. CRuſta lactea eſt cruſta ſcabioſa, mobilis, calvarium, frontem, vel faciem occupans, bene nutritos infantes infeſtans, ab humoribus viſcidis glandulas ſebaceas obſtruentibus proveniens.

2. Tinea eſt cruſta ſcabioſa calvarii, inaequalis, phagedaenica, ab ulcuſculis radices crinium occupantibus orta.

3. Curantur, 1. Alvum laxantibus. 2. Aperientibus. 3. Emollientibus et deterſivis. 4. Fonticulis.

4. Hinc intelliguntur impetigo, intertrigo, ſudamina, perniones, et tumores glandularum lymphaticarum.

SECT. VIII.

Pthiriaſis, crinones.

1. PThiriaſis eſt nimia pediculorum quantitas a ſpurcitie orta. Curatur munditie et medicamentis animalia necantibus.

2. Eodem

2. Eodem modo tolluntur crinones.

SECT. IX.

Ani procidentia.

1. EST prolapſus tunicae internae inteſtini recti a teneſmo originem habens. Proſunt applicationes adſtringentes et ſpirituoſae.

SECT. X.

Atrophia.

1. CAuſae atrophiae ſunt, 1. Tranſitus chylo ad vaſa ſanguinea denegatus ob lactis coagulum, vermes, vel glandulas meſenteriae obſtructas. 2. Nimia humorum diſſipatio e vaſis. 3. Prava dieta.

2. Adſunt flacciditas et macies corporis; tumor abdominis; laſſitudo corporis; vigiliae; febris; hydrops vel anaſarca; diarrhoea colliquativa.

3. Prognoſis variat ſecundum cauſas: in confirmata macie ſemper incerta eſt.

4. Medela ad varietatem cauſarum accommodetur.

SECT.

SECT. XI.

Rachitis.

1. RAchitis eſt oſſium ſpinaeque incurvatio cum inaequali partium nutritione; antiquis morbus incognitus. Primo ſeſe monſtrabat circa annum 1630, in occidentalibus Angliae plagis, et dein per totam Europam vagatus eſt.

2. Diſtinguitur, 1. In rachitem connatam et adventitiam. 2. In originariam et ſymptomaticam. 3. In ſolitariam, et complicatam aliis morbis.

3. Infantes a ſexto menſe ad ſeſquiannum frequenter; ab hoc ad finem ſecundi anni cum dimidio frequentiſſime; ſed poſt annum quintum nunquam fere hoc morbo corripiuntur.

4. Cauſae remotae ſunt diſpoſitio ad hunc morbum a parentibus laxam vel humidam conſtitutionem habentibus, morbis debilitantibus exhauſtis, vitam otioſam agentibus, dietae opiparae indulgentibus, voluptatibus aut morbis venereis fractis, vel fluore albo laborantibus, communicata; aër paluſtris et humidus, vel exhalationibus ex plumbo, antimonio, aut argento vivo, inquinatus; narcotica nimis copioſe interne ſumpta, vel externe applicata; dieta ex viſcidis, humectantibus,

ctantibus, vel ſaccharatis alimentis; defectus motus et exercitii; ſomnus vel vigiliae in exceſſu; calor lecti immoderatus; morbi praegreſſi, uti febres, difficilis dentitio, convulſiones, diarrhoea, aliique; nutrix morboſa, vel lac nutritioni ineptum ſecernens.

5. Non oritur hic morbus a defectu ſpirituum animalium in medulla ſpinali; ſed a laxitate fibrarum et lentore fluidorum inde ſequenti. Patet a cauſis remotis, ſymptomatibus, et cadaverum inſpectione.

6. Seſe prodit ignavia, debilitate, et flacciditate muſculorum; protuberantiis articulorum; abbreviatione et incurvatione oſſium, primo tibiae et fibulae radii et ulnae, dein femoris et humeri; capitis incremento; extenuatione muſculorum infra caput; difficili dentitione et dentibus nigris vacillantibuſque; pectore anguſto et acuminato; abdominis tumeſcentia; hypochondriorum tenſione; reſpiratione difficili; tuſſi; appetitu in initio illaeſo, poſtea deleto; ſpina dorſi varie inflexa; excrementis parum foetidis vel mutatis; lienteria; ingenio acuto et praecoci; febriculaque. Tandem hebetes, lethargici, et apoplexia, vel convulſionibus correpti vitam morte commutant.

Aperto cadavere, jecur magnum ſcirrhoſumque; glandulae meſenterii obſtructae; abdomen hydropicum; inteſtina flatu turgida; thorax a-

qua

qua repletus; pulmones ſcirrhoſi, vel ſuppurati; jugulares et carotides venae juſta proportione ampliores; arteriae vero debito minores; et aqua inter duram et piam matrem, vel in cerebri ventriculis conſpicitur.

7. Oſſa mollia deveniunt ob defectum virium comprimentium et fluidorum oſſificationi ineptorum, ideoque a muſculis flexoribus incurvantur. Coſtae complanantur a muſculis pectoralibus, intercoſtalibus et abdominalibus; ſternumque acuminatur. A nervis medullae ſpinalis compreſſis oritur tabes corporis infra caput, et accumulatur vis nervoſa in cerebro; abhinc major nutritio capitis et abdominalium viſcerum, acumenque ingenii inuſitatum. Glandulae ſtrumoſae, a lentore et debili fluidorum circulatione. Tumor ventris, a ſcirrhoſis viſcerum glandulis, aqua in cavitate abdominis, et aëre inteſtinis incluſo; lienteria, a tubo inteſtinali debilitato, et bilis aquoſitate; lethargus et apoplexia, a cerebro colluvie ſeroſa oppreſſo, proveniunt.

8. Diagnoſis morbi incipientis a ſymptomatibus, praecipue inabilitate ad motum, protuberantiis articulorum, tumore abdominis, mollitie capitis, laxitate generali et tabe corporis petitur. Ab hydrocephalo ſymptomatibus diſtinguitur.

9. Rachitis connata periculoſior poſtea contracta; periculoſior quoque a morbis praecedentibus, quam ab errore regiminis orta. Quo grandius

dius caput, quo majores articulorum prominentiae, quo magis oſſa incurvantur, eo productior fit morbus. Hydrocephalum, aſthma, phthiſis pulmonalis, hydrops, febris hectica, lues venerea, ſcorbutus, pene incurabilem efficiunt. Eruptio cuticularis et calor medelam accelerant.

10. Ad curationem perficiendam colluvies ſeroſa evacuanda et fibrae roborandae.

Serum redundans evacuatur, 1. Vomitoriis et rheo certis intervallis repetitis. 2. Fontanellis.

Fibrae roborantur, 1. Exſiccantibus, amaris, chalybeatis, cortice Peruviano. 2. Balneo frigido, ſi vires ſufficiant. 3. Frictione, externe applicatis eodem tempore medicamentis roborantibus non oleoſis. 4. Exercitio moderato, uti cunarum agitatione, rheda, artificiali corporis ſuſpenſione vel geſtatione in ulnis. 5. Dieta exſiccante et aëre ſicciſſimo.

SECT. XII.

Suffocatio ſtridula.

1. QUanquam morbus non novus eſt, et jure ſingularis, ad noſtram aetatem fere delituit, ob ſimilitudinem cum morbis catarhalibus vel peripneumoniacis, lenitatem ſymptomatum, aetatem aegrotantium infantilem, et nativitatem localem.

localem. Primus in obſcuro poſitas cauſas ſectione cadaverum perſecutus ſum, nomenque dedi, uti fuſius in noſtro tractatu nuper edito patebit.

2. AEtatem infantilem poſt ablactationem, et puerilem ante duodecimum annum, adoritur: rariſſime extra hos limites conſpicitur. Loca maritima, et nonnunquam paludoſa, praecipue infeſtat. Graſſatur hyeme et tempeſtatibus pluvioſis.

3. Morbus ſeſe monſtrat difficili reſpiratione; tuſſi miti, parum convulſiva et nonnunquam rauca; voce ſtridula inſtar cantus galli; ſiti; pulſu citato, et in initio plerumque forti; ſaepe dolore obtuſo, aliquando tumore in ſuperiore tracheae parte. Tandem pulſus fit celerior, mollis, et debilis; materies mucoſa et purulenta expuitur; mucoſa fit urina; reſpiratio acceleratur; et aeger inquietus et anxius, quamvis validus ſenſibus et comedens, ſine ulla fere querimonia, mortalitatem explet plerumque tertia, quarta vel quinta die.

4. Secto cadavere tota interna tracheae ſuperficies tegitur praeternaturali, alba, craſſa et tenaci membrana cava, et facile ſeparabili, interpoſita mucoſa materie, a partibus ſubjacentibus, leviter ſaltem inflammatis. In ramificationibus tracheae membrana gradatim mutatur in mucum, vel mucoſo-purulentam materiem, qua nonnunquam implentur fere veſiculae.

5. Ortum

5. Ortum ducit hic morbus a muco ſanguinem inundante, et ab aëre ſale marino inquinato, aliiſque cauſis, ad glandulas tracheae praecipue determinato. Continua reſpiratione aquoſis particulis difflatis pars craſſior remanens membranaceam induit naturam. AEtas tenera muco abundat, et expectorationis incapax eſt.

6. A muco vel membrana tracheam coarctante oritur vox acuta. Febris excitatur ad liberandum corpus a muco in venis et membrana extra vaſa. A trachea, bronchiis et veſiculis obſtructis, oritur dyſpnea. Inter alia hujus inauditi morbi phenomena noſtram admirationem movet tracheae, aliter exquiſite ſenſibilis, inſenſibilitas. Confert fortaſſe ad hoc, tarda et continua muci collectio et inſpiſſatio.

7. Diagnoſis hujus morbi petitur a reſpiratione celeri, tuſſi abrupta, illaeſa deglutitione, febre acuta, ſymptomatum rapiditate, ſed praecipue voce ſtridula.

8. Intutus ſemper eſt hic morbus et in acri diſcrimine verſatur aeger, quanquam bene ſe habere videtur. Mors ſaepe praeſto eſt antequam adſtantes ſuſpicantur. Si recens eſt morbus, ſi reſpiratio non valde laborioſa, ſi pulſus fortis et ſtatus inflammatorius, ſi vox ſtridet ſolummodo in flendo vel tuſſiendo, in incerto judicium eſt. Inclinati morbi primum ſignum eſt tuſſis magis expedita et humectata. Revaleſcunt nonnunquam membranam et mucoſo-purulentam

lentam foris tuſſi ejiciendo. Si reſpiratio laborat egregie, pus expuitur, pulſus frequens et debilis, facies rubet, ſumma anxietas et inquietudo, mors celeri pede appropinquat.

9. In ſtatu inflammatorio, antequam formatur membrana, morbo contra itum eſt, 1. Phlebotomia repetita, quoad pulſus perferre poſſit; et poſtea ſanguiſugis collo anteriori applicatis. 2. Medicamentis leniter, ſed conſtanter, alvum ducentibus. 3. Fomentationibus et cataplaſmatibus externe applicatis. 4. Vaporibus aquae calidae et aceti cum aëre hauſtis. 5. Empl. epiſpaſtico circa collum applicato, vaſis prius depletis.

In ſtatu purulento quando membrana jam formatur, et nocent evacuationes repetitae, 1. Tentanda eſt ejus expulſio irritabilitatem tracheae excitando vomitu forti, vel vaporibus irritantibus in pulmonem intus hauſtis. 2. His nihil proficientibus, quidni tentanda bronchotomia, ut extrahatur membrana?

INDEX

INDEX OPERIS.

A

Abortus P. 315
Acutus Morbus 61
Aer 7 et 18
Alimenta 5
Amor 16
Angina inflammatoria 119
Angina maligna 125
Aphthae 325
Apoplexia 224
Arthritis 174
Asthma 253
Atrophia infantium 331

B

Balneum 7
Bubo venereus 285

C

Caeliaca 159
Calculus cysticus 265
Calculus renum et vesicae 271
Carcinoma vel Cancer 220
Carus 229
Cataphora 228
Catalepsis 239
Catarrhus 129
Causa morbifica 14
Causae remotae morborum 15
Causae proximae morborum 28
Causarum morbificarum sedes 32
Cholera morbus 162
Chorea sancti Viti 236
Colica hysterica 161
Colicus dolor 159
Coma 228
Concubitus 8
Consuetudo 11
Convulsio 236
Crisis 37
Crusta lactea 330

D

Dentitio 326
Diagnosis 40
Diabetes 268
Diarrhoea 158
Dolores post partum 320
Dysenteria 153
Dysuria 172

E

Emphrosthotonos 237
Empyema 151
Endemici morbi 58
Epidemici morbi 59
Epilepsia 232
Erysipelas 187
Evacuationes 8
Exercitatio 8

F

Febrilis et non febrilis morbus 64
Febrium complicationes 91
Febris in genere 66
Febrium genera 75
Febris inflammatoria 76
Febris intermittens 91
Febris lenta vel nervosa 83
Febris lactea 321
Febris hectica vel marasmus 101
Febris remittens 97
Fluor albus 306
Furor uterinus 308

G

Gangraena 106
Gaudium 17
Gonorrhoea virulenta 278
Gravidarum morbi 313

H

Haemorrhoides 261
Haemoptysis 251
Hepatitis 166
Hydrops 209
Hystericum malum 240

I

Icterus 262
Iliaca passio seu Ilius 163
Imaginatio 4
Imbecillitas ventriculi 257
Incontinentia urinae 270
Inflammatio 104
Inflammatio ventriculi 152
——————— mediastini 144
——————— pericardii 145
Insania 243
Invidia 17
Ira 15
Ischuria 171
Ischias 182

L

Lethargus 228
Lienteria 158
Lochiorum fluxus nimius 318

Lochiorum

Lochiorum diminutio vel suppressio 319
Lues venerea confirmata 292
Lumbago 182
M
Moeror 16
Medicinae divisio 1
Medendi leges 52
Menses 301
Mensium obstructio vel suppressio 303
——— profusio 305
Miasmata 22
Miliaris febris 183
Morbus 13
Morborum divisio 56
Morbilli 199
Morbus ab acido 324
Morbi infantiles 322
N
Nephritis 169
O
Odontalgia 248
Opisthotonos 237
Ophthalmia 114
P
Pathemata 4
Pathologia 13
Paraphrenitis 145
Paralysis 230
Peripneumonia inflammatoria 135
——— maligna 139
——— notha 140
Phrenitis 111
Pleuritis 141
——— dorsalis 145
Proprietates hominum rerumque 10
Praedisponentes causae 26
Priapismus 308
Procidentia ani 331
Potus 6
Pthisis pulmonalis 146
Pthiriasis 330
Pudor 17
Puerperarum tractatio in genere 317
R
Ratio 4
Remediorum vires 49
Resolutio 105
Risus Sardonicus 236
Rachi is 332
Rheumatismus 180
S
Sanitas 3
Scarlatina febris 187
Scorbutus 204
Schirrus 109
Sitis 73
Somnus 9
Sporadici morbi 61
Sphacelus 107
Spasmus cynicus 236
Stranguria 171
Struma vel scrophula 216
Stranguria venerea 284
Sterilitas virilis 310
——— muliebris 311
Suffocatio stridula 335
Symptomata morborum 35
Symptomatum ratio 36
Suppuratio 106
T
Tabes purulentae 151
Tetanus 237
Testium tumor venereus 283
Therapeia 13 et 46
Timor et Terror 16
Tussis 129
——— convulsiva 133
Tumor praeputii et glandis 290
Tubercula callosa 291
U
Ulcuscula venerea 289
V
Variolae 191
Vestis 7
Venena 17
Venereus morbus 276
Vermes 327
Vigilatio 329
Volvulus 163
Z
Zona vel Zoster 190

FINIS.